HIEROGLYPHICA AEGYPTIA

TUM SCRIPTA, EAQUE EX

HORO-APOLLINE,

ALIISQUE VETERIBUS SCRIPTORIBUS

SELECTA:

TUM INSCULPTA, EAQUE EX

OBELISCO FLAMINIO

POTISSIMUM DESUMTA:

ET SYMBOLA ALIQUOT PYTHAGORICA

PER LEXEOGRAPHIAM TEMURICOSEMITICAM

TENTATA

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO, ET ACADEMICO HERCULANENSI.

NEAPOLI

TYPIS REGIIS

MDCCCXXX.

Των γαρ καλουμενων Γραμματων Ἱερογλυφικων ουθεν απολειπει τα πολλα των Πυθαγορικων παραγγελματων. *Literae* (Aegyptiorum), *quae dicuntur Hieroglyphicae, haud distant, ut plurimum, ab effatis Pythagoricis.*

Plutarchus de Iside. pag. 352.

Τους γουν των Βασιλεων επαινους θεολογουμενοις Μυθοις παραδιδοντες αναγραφουσι δια των Αναγλυφων. *Regum vero laudes Fabulis Theologicis inserentes describunt in Anaglyphis* Aegyptii.

Clemens Alex. Strom. V. pag. 556.

LECTORI ERUDITO

C. JANNELLIUS.

I. Quum comperissem iunior, et ignarus adhuc *Lexeographiae Temurico-Semiticae* neminem fere ex iis, qui studia *Hieroglyphica* adtigerint, extitisse, qui *Horum-Apollinem*, ut appellant, non laudaverit, celebraverit, exscripserit, statui et ego illum aliquâ curâ et diligentiâ evolvere, ut et ipse haberem, quae inde in usus meos decerperem et colligerem: At quum aliquamdiu in eo legendo et versando fuissem immoratus, ita levis et tenuis, ita a scientia et eruditione *Hieroglyphica*, quam tum animo conceperam, remotus et extraneus, ita ad explicanda *Monumenta Hieroglyphica* ineptus mihi visus est *Scriptor* ille *Niliacus*, ut patientiam tot tantorumque Laudatorum eius numquam satis mirari valerem. Nam nulla omnino Syngrammata Hieroglyphica, nulla Polyschemata, ex iis quae frequentissime in Monumentis Aegyptiis conspiciuntur, et quae omnium primum videbantur diligentissime explicanda, ab *Horo* istq adtinguntur: Et ipsa Schemata Monumentorum singularia, solitaria, quae adducuntur, paucissima sunt, et ad quodvis tentamen inepta, et, quod gravius, saepius polydynamica, ut *Accipiter*, *Canis*, *Scarabaeus*, *Stella* etc. quibus mens nostra gravatur potius et confunditur, quam certâ et optatâ luce perfunditur. Cetera pleraque huiusce *Hori* Lemmata nec Theologica, nec Metaphysica, nec Physica iure dici possunt, nec omnino ad sublimes aliquas saltem Ethicas sententias, atque insignia praecepta Poli-

tica spectant. Quin plura insuper sunt, quae nec pingi nec fingi possunt rationali modo: et omnia fere intimâ quâdam et secretâ laborant absurditate Ideographica: adeo ut saepe mirari cogaris, quomodo cogitationes ita absonae et incohaerentes in hominis mentem cadere potuissent. Quamobrem, quum ad studia Hieroglyphica, quae colere optabam, *Horum* hunc minime facere et conducere arbitrarer, illum seposui et longe ablegavi.

II. Et numquam sane, ut reor, illum denuo attigissem, si deinceps *Fundamentis Scripturae Hieroglyphicae* in *Hermeneutice Hierographica* constitutis paulo felicior extitissem in explicanda *Tabula Rosettana*, quam statim, ut aequum erat, arripueram. At quum in ea tentanda aegerrime haererem, et in XIV. Lineis Hieroglyphicis fractis, abruptis, et temporum vitio non raro corruptis ubi certo consisterem adhuc non haberem, tum reiecti illius *Hori* venit in mentem, tum contemtus *Scriptor Niliacus* succurrit. Quumque brevitatem Lemmatum, perspicuitatem Titulorum, claritatem Linguae, analysin Interpretationum, et illam potissimum incohaerentiam, et absurditatem Ideographicam mente reputassem, et recoluissem, magnam animo cepi spem fore, ut per huius saltem *Scriptoris* Lemmata *Canones* illos nostros *Hermeneuticos* experiri utcumque et probare possem. Nec me profecto opinio fefellit. Nam haud multa diligentia et solertia mihi opus fuit, ut deprehenderem fundum *Lemmatis*, et quasi medullam *Aenigmatis* factam fuisse ex vocibus Semiticis, superficiem vero, si ita loqui fas est, et corticem factum per Graeca vocabula; solutionemque vel certam, vel probabilem per Canones Scripturae *Lexeoschematicae* haud difficulter obtineri. Ex quo factum revera est, ut pluribus

Aenigmatibus Hieroglyphicis tum ex primo, tum ex secundo Libro *Hori* selectis *Tentamen* hoc quodcumque effecerim: et eodem tempore contemtus ille *Scriptor* factus sit nobis Ianitor primus, et initialis Promus *Scientiae Hieroglyphicae*, et per quem potuimus deinceps, collecto et firmato animo, *Tabulam Rosettanam* experiri, et *Obeliscum Flaminium* attingere.

III. Et hinc factum quoque est, ut Titulum ipsum *Operis Hieroglyphici*, de quo loquimur, et qui est: Ωρου-Απολλωνος Νειλωου ἱερογλυφικα, ἁ εξηνεγκε μεν αυτος Αιγυπτιᾳ φωνῃ, μετεφρασε δε Φιλιππος εις την Ελλαδα Διαλεκτον: arbitrárer tandem me capere, et intelligere, saltem ex parte: Scilicet tenere posse putavi nomen *Hori-Apollinis* esse symbolum *Linguae Semiticae*, qua, ut innuimus, elementa prima *Aenigmatis Hieroglyphici* sunt constituta; et nomen *Philippi* esse symbolum *Linguae Graecae*, qua *Elementa* illa *Semitica* facta sunt aenigmatica et cryptica. Nam qui putant nescio quem *Horum* scripsisse huiusmodi *Hieroglyphica* Lingua Aegyptia, et deinceps nescio quem *Philippum* ea vertisse in Graecam; horum *Aenigmatum* naturam et oeconomiam parum nosse videntur. Nam horum *Aenigmatum* pleraque simultaneum et intimum usum duplicis Linguae, *Semiticae* scilicet, et *Graecae*, et unum plane ingenium, unam eamdemque sollertiam, et manum necessario expostulant: Adeo ut unâ tantum Linguâ adhibitâ *Aenigmata* his, de quibus, loquimur similia, effici et efformari fere numquam possint. Et profecto Auctorem nostrum ipsa Graeca vocabula in intimam *Aenigmatis* compositionem saepius adsumsisse in *Tentamine* nostro saepe etiam monuimus.

IV. Pronum porro esset cogitare quinto circiter

saeculo Christiano Graecum hominem fortasse Alexandrinum, *Philippum* nomine, quum didicisset *Semiticam Linguam*, et ex Sacerdotum commercio tenuia quaedam semina *Temurosophiae Lexeoschematicae* collegisset, quia hi ob Crypticismum religiosum profunda et magna edocere detrectassent, tentare aliqua leviora et faciliora voluisse, eaque Graecis suis tradere et committere. Et quoniam *Apollo* erat Graecis Deus Oracularis, et *Aenigmatum* habebatur Auctor et solutor, et *Horus Aegyptius* habebatur ipse *Apollo* Graecorum, ut originem et fontem primum *Aenigmatum* suorum manifestaret, ea *Horo-Apollini* inscripsisse, et quidem *Niloo*, ut Regionem et Gentem, non peculiare oppidum significaret. Ita sane. Sed satius est iudicium adhuc suspendere, et expectare, ut Docti Viri haec profundius et penitius quaerant. Quamobrem ne Lectores iam diu adsuetos Titulis receptis frustra aliis et diversis turbaremus, Auctorem nomine *Hori-Apollinis* noto semper appellavimus, idemque nomen, non *Philippi*, *Tentamini* nostro praefiximus.

V. *Hieroglyphica* autem huiusce *Hori* tentans oculos aliquando convertebam ad *Diodorum Siculum*, *Clementem Alexandrinum*, *Plutarchum*, aliosque *Scriptores* veteres, qui pro data opportunitate nonnulla *Hieroglyphica Aegyptia* interpretatione adiecta adduxerant, et laudaverant. Quumque sentirem plurimum firmari auctoritatem *Scriptoris Niloi*, si *Aenigmata* similia penes alios Scriptores reperiri demonstrarem; quae potiora visa sunt ex illis *Scriptoribus* selegi, et eadem methodo, similique ratione explicata *Hieroglyphicis* ex *Horo* desumtis adieci.

VI. Erunt fortasse qui optassent, ut *Graeca Lemmata Hori*, et aliorum uberius et plenius

adduxissem, utque subtiliore cura, et ampliore eruditione omnia pertractassem; quum certum sit plura in hoc *Tentamine* dignissima scitu fuisse neglecta, et ceteris fortasse potiora. Ita quidem. At nobis fuit consilium et propositum non colligere *omnia Hieroglyphica Aegyptia* scripta, non *omnia* diligenter et erudite excutere, et illustrare; sed tantum et unice experiri voluimus an per *Canones* et *Methodum* nostram *Lexeoschematicam* utcumque possent ea tentari. Et quoniam visum est aegrius, molestius, et difficilius Lectores fuisse deprehensuros hanc *Methodum,* si citationibus pluribus, et variis quaestionibus Interpretationes nostras impediissemus, ideo plane simplices, breves, et nudas eas reliquimus. Quin quum sentirem *Tentamina* huiusmodi non posse vere perfici et absolvi, nisi diversa Ingenia, nisi plures Docti Viri accedant, et variâ solertiâ, multiplicique dexteritate Res agitent et versent; ut alii plures et citius ad ea captanda et comprehendenda allicerentur, non tantum emendandi et corrigendi Interpretationes nostras, sed plura etiam nova et intacta explicandi et interpretandi gloriam eis servatam voluimus.

VII. Alii forsan mirabuntur, quod *Lemmata Hori Hieroglyphica* Vocibus Semiticis indeclinabilibus, agrammaticis incondite expresserim. Atqui id feci, quia voces Semiticae inflexae et declinatae ineptae plerumque fiunt ad Temuram et Homiophoniam: ex quo factum est, ut fundamentalis sit et primaria *Lex Scripturae* omnis *Lexeographicae:* Radices Semiticas puras et simplices esse semper vel fere semper in ea adhibendas: Quin etiamsi salva hac *Lege Lexeographica* potuissem Grammatice exponere *Lemmata Hori,* temperavi me ab isto periculo ne lites

etiam cum Grammaticis nectere et agere cogerer. Et propterea si erunt Grammatici, qui de hac inconcinnitate mirabuntur, his ipsis curam lubenter tradimus, ut *Hori-Apollinis Lemmata* in declinatas et grammaticas formas Linguae convertant sive Hebraicae, sive Chaldaicae, sive Arabicae, sive Syriacae: Nam idipsum omnium primum a Grammatico statuendum est et definiendum.

VIII. Quod si porro doctis et eruditis Lectoribus interpretationes a nobis propositae videantur minus aequae et perspicuae, minus aptae et probabiles, nollem ut ideo ipsam *Methodum*, qua utimur, ipsos *Canones Hermeneuticos*, quibus innituntur, potius quam imperitiam nostram culpent. Nam. Interpretationis veritas vel probabilitas non ab una *Methodo*, non ab unis *Canonibus Physiosophicis* pendet, sed maxime a profundâ et variâ Linguarum peritiâ, et opportunâ mentis acie, et acri ingenii sollertiâ; quae in nobis esse tenuissima penitus sentimus. Ut autem de ipsa *Methodo*, de ipsis *Canonibus* rationali modo iudicetur, praeter peculiare examen *Physiosophiae Scripturae Symbolicae* et *Hieroglyphicae*, plures Docti Viri, varia eruditione, varia ingenii sollertia praediti ad tentanda huiusmodi *Hieroglyphica* per ipsam et eamdem illam *Methodum* accedere debent, et aliquamdiu pertinaciter et moleste versari, ut per necessariam *Exhaustionem* vel error vel veritas certo deprehendatur, et firmetur.

IX. De *Hieroglyphicis Acrologicis Goulianofi* et *Klaprothi* quid hîc dicerem, et expenderem non habui. Nam quum opinionem illam primum anno 1827 novi, iamdiu *Hieroglyphica Hori Methodo* nostra tentaveram, ut quis ex ipso ordine

Opusculorum nostrorum, quem Praefat. in *Herm. Hierog.* attingimus, poterit facile arguere. Tum Systema *Acrologico-Copticum* ita penitus distat a Systemate *Lexeoschematico-Semitico*, ut nulla mutua sive naturalis societas, sive necessaria collisio possit deprehendi. Quin curiosa res est posse duo Systemata coexistere, etsi id nec praestem, nec velim tueri. Nam possibile est *Horum Niliacum* Saeculo V. vel VI. Christiano, quum Lingua Ecclesiae Copticae erat plane constituta, pluribusque Libris condita, non modo Schematibus selectis nomina et voces *Semiticas* aptasse, sed etiam voces *Copticas*, quae in una Litera initiali congruerent. Sed hac de re alii iudicent.

X. *Hieroglyphicis Aegyptiis* scriptis et selectis addere placuit aliquot *Symbola Pythagorica*, eadem methodo et ratione tentata: Tum quia Plutarchus de Iside Pag. 354. et Jamblichus in Vita Pythagorae Cap. XXIII. pag. 120. diserte docuerant *Symbola Pythagoricorum* fuisse similia *Hieroglyphicis Aegyptiis*: Tum quia Scriptores veteres, qui de huiusmodi *Symbolis* egerant, Porphyrius in Vita Pythagor. Pag. 28. et apud Cyrillum Alexandrinum libr. IX. in Julian. Pag. 300. Clemens Alexandrinus Strom. libr. V. Pag. 558. 559. 560. Diogenes Laertius in Vita libr. VIII. Segm. 35. pag. 508. Proclus in Tim. Platonis Pag. 10. 11. etc. et alii plures *Symbola Pythagorica* omnes habuerant ut Aenigmata obscura, ut Lemmata cryptica, et peculiari modo confecta. Quin Jamblichus in Protreptic. Cap. XXI. pag.131. diserte tradiderat Pythagoricos ex instituto Scholae fundamentali ita *Lemmata* et Effata sua confecisse, ut ea externis et profanis viderentur vel obscura et inexplicabilia, vel ridicula et incpta, ληρου μεςα, και αδολεσχιας,

nempe *nugis plena*, *et futilia*: quum contra ubi Sodalibus, Amicis, et Adeptis fuissent explicata et exposita, evidenter apparerent aequa, rationalia, laudabilia, utilissima. Atqui *Lemmata* et Effata, quae *Ideographice* sumta videantur obscura vel absurda, quum contra intima sua natura sint aequa et rationalia, unâ prorsus *Methodo Lexeographica* possunt confici; per duplicem tantum Linguam, arcanâ unâ et crypticâ, communi et populari altera, sunt necessario condenda. Ergo *Symbola Pythagorica* explicanda erunt per duplicem Linguam. Atqui *Linguam Hieroglyphicorum* Aegyptiorum, quibus *Symbola Pythagorica* esse prorsus similia Veteres, ut modo diximus, solemniter fuerant testati, esse *Semiticam* puriorem in *Hermeneutica Hierographica* demonstravimus. Quin quum ipse Jamblichus Loc. cit. professus sit Interpretationem *Symbolorum*, quam dabat per congruentias *Ideographicas*, esse diversam a vera, arcana, et intima, veluti digito indicavit unam esse reliquam *Interpretationem Lexeographicam.* Ergo iure eadem methodo et ratione, qua tentaveramus *Hieroglyphica Hori-Apollinis* tentari posse *Symbola Pythagorica* arbitrari coacti sumus.

XI. Quin, ut hunc quemcumque laborem in *Symbola Pythagorica* adsumerem, alia et gravior caussa fuit, quae impelleret. Adolescens quum Historiae Philosophicae operam darem, et Philosophiae Graecae praesertim *Pythagoricae* origines et auctores quaererem, nexumque manifestum, et societatem evidentem inter Systema *Pythagoricum*, et quodcumque Orientale constituere et definire adlaborarem, vidi me penitus non posse. 1. Primo, quia etsi *Pythagorae* Itinera ad Aegyptios, ad Chaldaeos, ad Brachmanes plane

certa et explorata ponantur haud inde fit Dogmata pleraque Philosophiae suae ex his certo hausisse. 2. Secundo, quia ipsa Systemata Metaphysica et Theologica Aegyptiorum, Chaldaeorum, et Brachmanum ita obscura, incerta, confusa sunt in Libris Graecorum et Latinorum, ut nemo esse queat, qui statim Fragmentis illis perlectis possit iure tenere *Pythagoram* ex illis omnino sua composuisse et confecisse; maxime ubi meminerit Sectam *Orphicam* ab antiquis temporibus apud Graecos fuisse celebrem. 3. Tertio, quia Fragmenta Philosophiae Barbaricae Graece vel Latine descripta tam recentia sunt, tam Pythagorae aetate posteriora, ut non *Pythagoram* a Barbaris, sed istos contra a *Pythagoricis* desumsisse possit quis utcumque coniicere. 4. Quarto quia Philosophi gente et patria Syri, Phoenices, Palaestini, Babylonii, Aegyptii, qui potissimum a I. Saeculo Christiano plurimos libros Graece scripserunt, et quos agere de centuriis Philosophorum Aegyptiorum, Phoenicum, Chaldaeorum, Indorum, de Sectis, Dogmatibus, de successionibus Scholarum apud istas Gentes quisque exspectasset et flagitasset, vix quandoque Hermetem, et Zoroastrem nominarunt; unam fere Graecorum Philosophiam laudantes, amplectentes, explicantes, unos Pythagoras, unos Platones in coelum tollentes. 5. Quinto, quia numquam fieri potuit, ut *Pythagoras* Systema suum Theologicum et Liturgicum sive a *Hierophantis* Aegyptiorum, sive a *Chaldaeis*, sive a *Magis* Medorum, sive a *Brachmanibus* Indorum sumeret, et componeret. Nam impossibile est Sacerdotem hereditarium et Castae participem posse in Mysteria Tribus extraneum, pollutum, impurum, invisum initiare. 6. Et quod gravius impossibile est Systema *Pytha-*

goricum prorsus Acasticum congruere Systemati Sectae Casticae et hereditariae. Quamobrem, ut dicebam, nullum nexum, nullam societatem inter *Philosophiam Pythagoricam*, et *Orientalem* deprehendere valebam. At deinceps, quum ex constitutione Imperii Assyriorum et Chaldaeorum certo tenere posse arbitrarer fuisse apud has Gentes Sectas Ascetarum Politicorum eclecticas, Sectas Philosophorum Politicorum Acasticas, sive priores *Samanaeos et Budhistas*, quorum dogmata et mores in pluribus cum *Pythagoricis* convenire necesse esset; quum dubitare non possem, quin Zaratas ille, sive Zabratus, sive Nazaratus, sive Zoroaster Chaldaeus, Babylonius, vel Persa, quem Praeceptorem *Pythagorae* Plutarchus, Apuleius, Pseudo-Origenes, Porphyrius, Clemens Alexandrinus, aliique tribuerunt, fuisset Philosophus Acasticus, et Asceta eclecticus, non desperavi, quin aliquando Nexus aliquis certus inter Sectam *Pythagoricam* et *Budhisticam* veterem demonstraretur. Et si plures *Pythagoram* quasi ab *Aegyptiis* non a *Chaldaeis* edoctum tenent, animadvertendum est *Buddistas* istos et *Samañaeos*, ut omnes alias Sectas Asiae, potuisse mature etiam sub primis Regibus Saiticis in Aegyptum penetrare, et sedem figere, vel facilius et commodius sub *Amasi*. Mihi porro per plures rationes, quae hîc exponi nequeunt, probabile est *Sabinos*, sive *Sapinos* et *Saphinos*, qui Romam habuerunt, ex *Sophene* Syra vel Assyria advenisse, Deum suum magnum *Semonem Sancum Fidium* esse ipsum *Samaneum Sciakiam Budam*, et *Numam Pompilium* esse *Muni Pampilonium* sive *Babylonium* auctorem praecipuum Systematis Religiosi Sabino-Romani ita Pythagorico similis, ut

Numa ille *Pythagoricus* audiri pluribus et pertinacissime meruerit. Quin ipse *Pytha-goras* Adeptis suis et Sodalibus fuit, mea sententia, revera *Budha-Ghur Budha peregrinus*, *Budhista*, qui ex longingua regione peregrinatur. Quumque porro *Dogmata Pythagorica* cum dogmatibus Budhisticis contulissem longe propiora his, quam *Aegyptiis* comperi: quumque nexus et demonstratio originum maxime per *Linguae* identitatem, vel similitudinem habeatur, ideo ratus sum esse aliquid ad origines *Philosophiae Pythagoricae* definiendas aliquot *Symbola* per *Linguam Semiticam* explicare et interpretari.

XII. Pauca profecto sunt, quae attigimus, et fortasse defectu sollertiae mentis, et linguae peritiae minus apte et recte. At plurimi sunt quibus idonea adest sollertia mentis, et Linguae peritia, et qui propterea egregiam operam etiam Philosophiae praestabunt si *Symbola Pythagorica*, quotquot ex Plutarcho, Clemente Alexandr. Porphyrio, Diogene Laertio, Jamblicho, Olympiodoro, Suida, aliisque poterunt colligi, *Methodo Lexeographica* tentaverint, et ipsas insuper interpretationes a veteribus adlatas, et quas collegerunt Minois, Kircherus, Masenius, Gravius, Stanleius, Menagius, aliique, expendant, excutiant, et cum *Lexeographicis* comparent.

XIII. *Hieroglyphicis* Aegyptiorum *scriptis*, et quorum propterea *data* esset utcumque sententia, aliquot alia *Hieroglyphica* illustribus Monumentis *insculpta* addere desiderabam, et ea omnino, quorum sententia vel esset *Data*, vel potuisset rationali modo haberi ut *Data*. At quum praeter *Tabulam Rosettanam* peculiari libello tractatam, nullum aliud *Monumentum Hieroglyphicum* nota Lingua interpretatum nossem,

nisi *Obeliscum Hermapionis,* cuius versionis partem Ammianus Marcellinus Libr. XVII. cap. 4. servavit, quid agerem diu dubius et anxius haesi: 1. Primo, quia plures docti viri ut Kircher, Montfaucon, Paw, Villoison, Etienne Quatremere, aliique Hermapionis Textum omnino spurium et fictum iudicaverant, et propterea *Data* illa, quae quaerebam, subtraxerant. 2. Secundo, quia alii longe plures varietate et adversitate sententiae Monumentum originale versionis incertum et dubium fecerant, his contendentibus *Obeliscum Hermapionis* esse *Flaminium*, aliis contra Lateranensem, inter quos postremos fuerunt Warburtonus in Essai sur les Hieroglyph. Tom. I. pag. 118. 119. De Brosses Mechan. du Langag. Tom. I. pag. 360. 386. 420. Comes Guasco de l'usage des Statues pag. 28. et omnibus acrius et pertinacius Gibertus in Act. Acad. Inscript. Tom. XXXV. Pag. 665. ad 676. 3. Tertio, quia Champollionus Iunior neutrum horum maluit, sed peremtorie, *en definitif*, *Obeliscum* originalem *Hermapionis* a Barbaris absumtum et comminutum statuit in suo Precis Pag. 134. 135. edit. 1824, et Pag. 186. 187. edit. 1828. 4. Quarto, quia *Obeliscus Hermapionis* quicumque demum esset, attingi non poterat, nisi omnium primum aliquot *Ellipses Hieroglyphicae* tentarentur; Atqui, ut alibi etiam monuimus, *Ellipses Hieroglyphicae* in Systemate nostro sunt plane arduae et abstrusae interpretationis. 5. Quinto, quia occurrerent *Schemata Hieroglyphica* obscurae et ignotae naturae, ut illud quod diximus *Murum pinnatum*, et aliud quod *Siphonem angulosum* coniecturâ et amicorum monitu appellavimus. At quum deinceps animadvertissem 1. Quod *Monumenta Hieroglyphica Bilinguia* sint plane pau-

cissima: 2. Quod *Monumenta Unilinguia* sint in hac nostra infantia adhuc intractabilia: 3. Quod *Lexicon* fundamentale *Scripturae Hieroglyphicae Aegyptiae* sit unice ex *Monumentis Bilinguibus* petendum et constituendum: 4. Quod ad huiusmodi *Lexicon* fundamentale condendum satis esse non possit *Tabula Rosettana*, etiamsi ab aliis pluribus *Methodo* nostra tentetur: 5. Quod versione *Lexeographica Obelisci Hermapionis* ingens et praestantissimum adiumentum *Lexico Hieroglyphico* fundamentali parari possit: 6. Quod per versionem *Obelisci Hermapionis* possint alii plures similes *Obelisci* necessario explicari, et ingenti incremento *Scientia Hieroglyphica* augeri: 7. Quod tentatis *Ellipsibus Obeliscorum* habetur demonstratio evidens et invicta falsitatis *Systematis Alphabetophilorum*, qui in eis non vident nisi nomina demotica Regum Aegyptiorum. 8. Et contra quum cogitassem quod per illas propositas difficultates plurimi Tyrones et iuniores in his studiis a tentando huiusmodi *Obelisco* absterrerentur, aequum duxi, ut si minus totum *Obeliscum* explicandum sumerem, peculiari tamen Disputatione difficultates illas removere conarer, et alia nonnulla praestarem, quae Interpretationem faciliorem et minus impeditam redderent; et hoc pacto revera mihi comparasse viderer aliquot *Syngrammata Hieroglyphica* ex illustribus Molibus desumta, quae *Hieroglyphicis scriptis* adderem et adiungerem.

XIII. In *Disputatione* igitur hîc adposita de *Obelisco Hermapionis* haec demonstrare adnisi sumus: scilicet 1. *Obeliscum Hermapionis* adhuc esse et spectari Romae. 2. Hunc esse ipsum *Obeliscum Flaminium* positum in Populi Platea, non Lateranensem. 3. Versionem Hermapionis esse

genuinam, et accurate factam 4. In Ellipsibus Hieroglyphicis revera Stemmata et Characteres Deorum Aegyptiorum, non Regum nomina Demotica inveniri: 5. Et per *Stemma Hieroglyphicum Pharaonum* tum Fidem Graecorum et Romanorum Scriptorum, quoad Nomina Pharaonum, invicte defendi, tum caussas ex parte detegi, per quas Historia Aegyptiorum ita confusa, obscura, et absurda ad nos pervenerit. Et propterea magis his magisque firmari omnia, quae in Systema Hieroglyphicum Champollioni Iunioris in *Hermeneut. Hierographica* potissimum Libr. II. Sect. III. et in *Praefat.* §. XI. adnotavimus. Quibus animadversionibus liceat etiam addere auctoritatem summam praestantissimi *Dramatis Hieroglyphici*, quod Caillaud in Itiner. ad *Meroen* Vol. II. Tab. LXXII. ex Pariete Abydi desumsit, quo Dramate exhibentur Osiris, Isis, Thoth Ibicephalus habentes stilos scriptorios in manibus, atque Horus sedens et quietus, omnes tamen circum arborem *Piro* similem, e qua plura *Pira* pendeant, in quibus insculptae sint illae ipsae *Ellipses Hieroglyphicae*, quae in *Obelisco Flaminio* spectantur, vel plane similes, carentes tamen *Ape*, *Ansere*, vel alio Symbolo adiectivo: Illique Dii eo actu sunt, quasi modo absolverint illorum *Stemmatum* insculptionem. Quae profecto *Stemmata* quum nec directe nec indirecte, nec proxime nec remote possint ad aliquem *Pharaonum* referri, omnino fateri necesse est spectare ad magna aliqua, et profunda, et praestantissima Mysteria, quorum *Horus*, qui adstat sedens et quietus, quasi in centro, sit finis, propositum, et complementum. Vale.

Neapoli ex Regia Bibliotheca
Idibus Maii 1830.

certiore cum fructu facias, hos nostros monitus libenter, obsecro, audi. Scilicet:

1. Primo *Dialectum Arabicam*, et *Abissinicam*, quas ego vix levissime attingere potui, diligenter excole; haud enim dubitari fas est, quin saepius esse summi adiumenti, et certissimae utilitatis eas experiaris.

2. Secundo diligenter attende ad Polydynamin eiusdem *Radicis* secundum varias *Dialectos Semiticas*, et potissimum distingue *Potestatem Schematicam* ab *Aschematica*, in qua est cardo et principium *Scripturae*, ut animadvertimus in *Hermeneutic. Hierogr.* L.I. S.IV. C.I. p. 55.56.

3. Tertio loco in *Libello* chartarum purarum omnia *Schemata Hieroglyphica Tabulae Rosettanae* tibi expinge, et ea singula cum maximo numero *Schematum* similium per reliqua *Monumenta* Aegyptia comparato et conferto, adhibitaque amicorum sollertia naturam eorum, et usum, et formationem adnotato. Et si de veritate dubitas, si plures opiniones aeque probabiles ducis, omnes adponito, et describito, singulas expensurus et examinaturus loco et opportunitate sua.

4. Quarto loco, *Schematum* natura et usu definito, omnia *Vocabula Semitica Homiodynamica* adpone, omnes *Voces*, omnia Verba, quae videantur *Synonyma* adiunge: Adeo ut ex. gr. *Hydroschemati* non adscribes tantum nomina *fluvii*, *rivi*, *torrentis*, sed etiam *pluviae*, *humoris*, *libationis*, *effusionis*, *inundationis*, *natationis*, et ita porro.

5. Quinto loco *Textum Graecum Tabulae Rosettanae* diligenter expendito, et diu multumque versato, nec curas et animadversiones Doctorum Virorum hactenus editas, et quae mihi defuerunt, negligas.

6. Sexto loco deligito ex *Textu Graeco* Voces praestantiores, Nomina insigniora, Phrases frequentiores, et eas per *Canones Hermeneuticos* in Scripturam Schematicam vertere adnititor, ut possis iustam spem praecipere animo, quod *Methodo* huiusmodi *Scriptura Schematica* possit condi, et possit facilius condita explicari.

7. Septimo tandem ipsa *Inscriptione Hieroglyphica* examinata adnota tibi diligenter *Loca*, quae certis argumentis et illationibus evidentibus respondeant *datis Vocibus* Graecis, et inde versionem adgreditor, ut possis facilius in difficiliorà pergere, et imperfecta perficere. Atqui si haec praestabis, praetermissa a nobis supplebis, reliqua emendabis, et reddes omnia longe meliora et potiora.

VII. Quod si miraris cur ego proposuerim tibi non interpretationem *Parietum Hieroglyphicorum*, qui sunt Karnaci, vel Tentyris, non explicationem *Obeliscorum Luqsoris*, vel *Alexandriae*, sed omnino aliam et repetitam explicationem *Tabulae Rosettanae*, dicam libere, id factum, quod prae nominis et famae meae vano rumore longe magis amo verum et solidum incrementum *Scientiae Hieroglyphicae*. Atqui impossibile est tentari rationali et aequo modo *Monumenta Hieroglyphica* absque *Lexico Hieroglyphico* rationali et aequo modo condito et probato: Et impossibile est *Lexicon Hieroglyphicum* rationali et aequo modo condi et constitui, nisi ope *Monumentorum Bilinguium*. Atqui inter *Monumenta Hieroglyphica Bilinguia* praestantissimum adhuc est *Tabula Rosettana*. Hinc absolutâ necessitate est versanda ea, et exagitanda per variorum Ingeniorum sollertiam, et eruditionem.

Dedi quidem operam peculiari *Disquisitione*, ut *Textum Hermapionis*, qui legitur apud Ammianum Marcellinum Libr. XVII. pag. 110. ostenderem esse authenticam et genuinam versionem *Obelisci Flaminii*, qui spectatur Romae in Populi Platea, et est etiam absolutae necessitatis ad incrementum et adiumentum *Lexici Hieroglyphici fundamentalis* et *radicalis*, ut iste *Obeliscus Flaminius* plene explicetur; sed satius et utilius est ordiri a *Tabula Rosettana*, et dare diuturnam operam, ut omnia *Syngrammata Hieroglyphica*, quae eâ continentur, fiant certae potestatis, et exploratae sententiae, ut esse possint rationalia et aequa *Elementa Lexici fundamentalis*, sine quo, ut dicebam, est impossibile vere proficere in interpretatione *Monumentorum Hieroglyphicorum* Monoglossorum, ut sunt omnia reliqua. Atqui, si tu sapis, si famam tuam curas, si in pueriles, ridiculos, et nulla venia dignos errores labi et ruere non velis, ab explicandis adhuc *Monumentis Hieroglyphicis*, quae versione carent, diligenter cavebis, et penitus abstinebis: Sed si haec studia amas, omnem curam, omnem sollertiam tuam in explicandis *Monumentis Bilinguibus* notis, scilicet *Tabula Rosettana*, et *Obelisco Flaminio*, et in ponendis fundamentis solidis Lexici Hieroglyphici Radicalis cum ingenti tua laude, et utilitate aliorum insumes, Lector, et impendes.

Sed tempus iam est ut aliqua etiam de Centurià Sinogrammatum animadvertamus.

I. Felicitatem ingenii eorum, qui *Scripturam Sinicam* communem et Encyclopaedicam clare et perspicue intelligere et explicare apud nos viderentur, vehementer semper sum admiratus. Nam

*

Signa elementaria huius *Scripturae*, ut iam diu Cibotus in *Memoir. de Pekin* animadverterat, sunt tantum *ducenta* circiter, et nemo est, qui plusquam ducenta Idearum millia tam brevi et angusto *Signorum* numero clare exprimi et exhiberi arduam et difficilem rem non iudicaverit. Tum *Polysemata* ex ducentis illis *Signis* sive *Sematibus* elementaribus condita non unam et singularem ideam, non unum et peculiare obiectum plerumque singula indicant; sed pluribus quidem et distinctis ideis et obiectis respondent, iisque minime intime secum relativis, haudquaquam invicem similibus ob Tropos et Metaphoras Ideographicas, ut fit apud plerasque Gentes, sed respondent pluribus Ideis, pluribus prorsus variis et adversis Obiectis: eo ipso pacto, quo *Voculae* illae, quibus in sociali usu pro *Lingua* utuntur *Sinenses*, plures et penitus diversas Ideas et res significant. Quin, quod longe etiam gravius et molestius est, si ad ipsam *Signorum* radicalium naturam attendimus, si potestatem singulorum *Sematum*, quibus singula *Polysemata* constituuntur cum potestate et vi totius *Polysematis* per congruentias Ideographicas conferimus et comparamus, loco intimae et clarae relationis, loco perspicuae et opportunae harmoniae apertam contra repugnantiam, summam adversitatem, et ridiculam vel absurdam elementorum compositionem deprehendimus: Adeo ut si *Scripturam Sinicam* puerili et infantili modo addiscere constituamus, tum Lexica infallibilis auctoritatis habere necesse sit, nec licere possit latum unguem excedere, numquam veram et originalem vim *Polysematis* scire, numquam amplitudinem, et originem, et rationem *Polydynamis* nosse. At si contra volumus

Scripturam Sinicam per rationalem *Signorum* analysim addiscere, datâ quacumque Scientiâ Ideographicâ, datâ quacumque sollertiâ Ideosophicâ, in Chaos ita tetrum, in absurditates ita evidentes coniectos nos esse sentiemus, ut infantilem et puerilem rationem addiscendi *Sinica Polysemata* isti Analyticae et *Ideographicae* praeferre cogamur. Nam quoniam Memoria omnis et recordatio nexu, vinculo, adsociatione, et analogia gignitur et producitur, et nexus et analogia aequa et rationalis inter ideas adversas, et oppositas non potest institui et servari : Hinc fit, ut quo tu sapientior et acutior eris *Ideosophus*, eo clarius et manifestius absurditates *Ideographicas Polysematum* Sinensium perspicias, et adeo longe maiorem repugnantiam, et difficultatem sentias ea *Polysemata* Memoriâ retinendi et animo diutius servandi. Et profecto si placeret tibi *Signo* A indicari *Hominem*, *Signo* B. *Sanguinem*, non repugnarem : Sed si velles *Polysemate* A+B significari *Quietem* et *Silentium* id aegerrime possem suscipere. Si iubes *Signo* X indicari *Resistentiam* oppositionem : Signo Z *Abscondere*, *celare* ; Signo Y *Aequum*, *iustum* obtemperarem: Si velles Polysemate X+Z+Y indicari vel *Resistentiam*, vel *Abscondere*, vel *Aequum* non recusarem: Sed si imperares, ut X sit Signum *Hominis*, Z *Capitis*, Y *Scabelli*, et Polysemate X+Z+Y sive Signis *Hominis*, *Capitis*, et *Scabelli* significari *Resistentiam*: *Abscondere*: *Aequum*, summam repugnantiam in animo meo sentirem, nec tibi praestare possem an aliquando certo et firmo nexu eas potestates Memoria servarem et continerem. Atqui pleraque *Polysemata Sinensia* simili absurditate *Ideographica* laborare certum est. Quam

absurditatem si nemo adhuc ex Sinologis aperire et manifestare voluit, si nemo adhuc ex Sinophilis plurima *Polysemata Sinensia* per elementa *Ideographica* esse intractabilia demonstrare adgressus est, si imo plures extiterunt, ut Kircherus, Deguignesius, Cibotus, Deshautesrayes, Abel-Remusatus, qui acumen *Ideographicum* Doctorum Sinensium in aliquot *Polysematibus* quaesierint et laudaverint, non factum est, quod illam absurditatem non novissent, quia eam non nosse Sinologum impossibile est, sed quod si aperuissent et manifestassent incredibiles alias difficultates studio difficili et aspero ac frustra comparassent.

II. Incredibilem porro *Scripturae Sinicae* difficultatem absque Commentario demonstrant tum tenuissimi et levissimi progressus, quos Sinenses fecerunt in Scientiis Mathematicis, Astronomicis, Physicis, et etiam Ethicis et Politicis, quae angustissimos fines suorum librorum Classicorum excedunt: quidquid per duo fere annorum millia conati fuerint eis tradere Indi, Bactriani, Muhammedani Arabes, et Persae, atque Europaei: Tum summa raritas Sinosophorum Europaeorum: etsi iam ab aetate Matthaei Riccii plures Libri Sinici in Bibliothecas Europaeorum fuissent inlati; etsi plura adiumenta ad hanc Scripturam adsequendam Missionarii Catholici parassent; etsi pluribus et potentissimis Caussis Literati Europaei ad occupandam et penitus adsequendam Sinicam Literaturam agerentur, et plane cogerentur. Atqui ubi tu Catalogum *Sinophilorum* ex Thesauro Epistolico Lacrozii, ex Praefatione Bayeri ad Museum suum Sinicum, ex Praefatione Fourmonti ad suam Grammaticam, nam suas Meditationes videre adhuc non licuit, ex Bibliotheca Historica Struvii, et

Meuselii, ex Histoire de la Chine Fortia d'Urban, ex variis opusculis eruditissimi Abel-Remusati, aliisque mihi ignotis, tibi condes et compones; et ex alia parte acerba iudicia, quae de his ipsis retulerunt, praeter alios, idem Abel-Remusatus, Klaprothus, et Montuccius expendes et recoles, absque Commentario, ut dicebamus, colliges et tenebis *Scripturam Sinicam* communem et Encyclopaedicam esse longe abstrusam et difficilem.

III. Hinc aequum duxi in *Fundamentis Hermeneuticis Hierographiae Crypticae veterum Gentium* leges et conditiones formationis *Scripturae Sinicae* quaerere et investigare: Quumque plura tentassem, tenere tandem posse visus sum, quod 1. *Scriptura Sinica Encyclopaedica* sit *Lexeosematica*, eaque cryptica et abstrusa. 2. Quod propterea in ea condenda adhibenda fuit *Lingua Semitica* purior et vetustior. 3. Et quod *Voculae* adiectae ad intimam *Polysematum* compositionem spectent, et nexum, vinculum, et criterium eius certum constituant. Et hinc 1. omnium primum naturam intimam *Scripturae* patefactam sensi, et rationem comparatam, qua *Lexica Sinico-Latina*, vel *Sinico-Lusitanica*, vel *Sinico-Gallica* possint rationali analysi excuti: 2. Quod possit *Polydynamis Polysematum* definiri, et agnosci: 3. Hinc facta spes est, quod possint denique plurima ad *Sinicam Archaelogiam* spectantia, et quae ab Auctoribus *Scripturae* in ipsis visceribus *Polysematum* fuerunt condenda, aperiri et detegi. 4. Hinc methodus inventa, qua per nexum *Lexeographicum* Memoria vehementer iuvari possit ad addiscenda et retinenda *Polysemata Sinica*. 4. Hinc detectas perspexi origines Gentis hactenus

insociabilis et separatissimae, factamque intimam societatem Sinensibus cum Assyriis, Chaldaeis, Arabibus, et Aegyptiis: 5. Et ingens adeo adiumentum paratum ad intelligendam *Scripturam Aegyptiorum Hieroglyphicam* in *Scriptura Sinica* esse inveniendum, 5. Quin potui iam tum praecipere animo spem, ut conditis *Lexicis Sinicis* per Linguas *Semiticas*, et potissimum per *Lexicon Prophetarum Hebraeorum*, et iis per Missionarios nostros, praesertim eos, qui Neapoli hîc educantur, ipsis Mandarinis prudenter communicatis hi possent ad Sanctam Religionem nostram amplectendam parari et disponi. 6. Quin videbatur per *Lexica* huiusmodi *Sino-Semitica*, servata Literatura veteri indigena et Patria, posse ab ipsis Mandarinis facile et cito addisci omnem Literaturam Semiticam praesertim Arabicam, et ope *Linguae Arabicae* per opportunas versiones Literaturam universi Generis humani comprehendi et comparari.

IV. Restabat ut hanc ipsam *Polysematum Sinicorum* compositionem, hunc ipsum nexum *Lexeographicum*, hanc ipsam *Linguam Prophetarum Hebraeorum*, has ipsas spes conceptas, re, facto, reali *Polysematum* analysi et examine rationales, et vero fundamento innixas esse demonstrarem. Id quod hac *Centuria Sinogrammatum*, si minus ad absolutum Doctrinae documentum, ad speciem tamen sufficientem *Tentaminis* praestitisse arbitror: quum omnes Canonum Hermeneuticorum conditiones in *Interpretationibus* firmatae utcumque et explicatae inveniantur. Quod si solertissimis Lectoribus et doctissimis Sinologis Interpretationes nostrae videantur minus probabiles et aequae, minus verisimiles, quod iam

in aliis Praefationibus monuimus, et hic monemus: Scilicet ne *Methodum* statim culpent, ne *Canones Hermeneuticos* statim reiiciant; sed incongruentias, quae erunt, tribuant potius imperitiae nostrae. Nam non erubescimus fateri esse in Studiis Sinicis plane infantes, carere pluribus et necessariis Libris, destitui praeceptoribus, sodalibus, et fautoribus; non valuisse hactenus definire singula *Ducenta* illa *Semata* radicalia, quibus *Scriptura Sinica* constat, nec potuisse adhuc accuratissimam comparationem instituere inter Literas *Alphabeti* Hebraici et Arabici cum *Literis Sinicis* secundum pronuntiationem Lusitanorum, Anglorum, vel Gallorum. Qua in re monere insuper Lectores aequum est, ne quum in *Centuria* nostra videant *Che*, *chy*, *chun*, Gallica methodo descripta, habuisse me quasi Italice scripta, et quasi *Ka*, *Ke Kun* Gallorum, putent id factum oblivione: Sed factum, quod ex pluribus Speciminibus tentatis, et iis etiam, quae Deo dante edentur in *Etymis Hierographicis*, visum sit revera Sinis accidisse, quod Gallis, nempe eo ipso pacto, quo Galli *Caput* Latinorum pronuntiarunt *Scef*, *Cantare Scianter*, *Campum Sciamp.* ita etiam Sinenses, quod olim esset *Cha*, *che*, *chi* verterunt in *Scia*, *Sce Sci.* Hanc quidem Pronuntationis immutationem inveniri falsam, et a veritate alienam amavi, et desideravi, et modo lubenter ferrem, qui refutaret: Retinere tamen volui Interpretationes illas nostras iam prolatas, ut alii sint, qui id experiantur, et quaerant, et re maturius et prolixius discussa possint vel recipere, vel reprobare. Eoque magis, quod *Cha* Gallorum, sive *Xa* Lusitanorum a nonnullis Doctis viris pronuntiari, ut ipsum *Cha*, in *Charactere*, ut *Ca*

Italorum fateatur Souciet Prefat. ad *Observat. Mathem. et Astronom.* T. II. Pag. XXIII.

V. Orandus modo est praestantissimus Abel-Remusatus, ut *ducenta* illa *Semata* radicalia characteribus et formis suis quamprimum edat, et *Sinophilis* omnibus communicet; eoque pacto ingens et fundamentale beneficium *Sinicae Literaturae* praestet in quocumque possibili Systemate. 2. Orandus etiam est, ut seligat loca praestantiora, insigniora Doctorum Sinensium, quibus de natura, elementis, et formatione *Scripturae suae* agunt, ipsisque *Synogrammatibus* originalibus accurate conversis prodat. 3. Et tandem addat *Specimina Lexici* praestantissimi *Hiu-chin* vel *Hiu-scin* addita opportuna analysi, et interpretatione: quo etiam illi qui Sinosophi et Sinologi non sunt, possint aliquo pacto et naturam Literaturae nosse, et de ea pro opportunitate cogitare et disserere. Tum reliqui etiam Sinophili orandi sunt, ut tum de *Physiosophia Linguae*, et *Scripturae Sinicae* cogitata sua velint promere, tum *Methodum* nostram diversis Tentaminibus agitare, et varia cura et multiplici Linguarum peritia vexare, ut ex repetitis *Exhaustionibus* possit tandem de eius sive utilitate sive inutilitate iudicari. Et propterea tempus iam esset, ut *Sinophili Europaei*, sive Literati *Angli*, *Galli*, *Russi*, *Germani*, qui *Literaturae Sinicae* sunt iam capaces, et cum ipsis Sinensibus, et potissimum cum insignioribus Mandarinis versantur, omnem dent operam, omnes sollertiae modos experiantur, ut ab ipsis Praeceptoribus Sinensibus intimam compositionem *Scripturae Sinicae* exprimant. Ego quidem certissimus sum eam esse crypticam, secretissimam, arcanam, et a plurimis ignorari, sed dubitare aeque non

possum, quin doctiores et praestantiores sciant et penitus calleant, et quin ubi quaestiones sint factae prudenter, ingeniose, et argute, lumina manifesta veritatis ex ore eorum possint exprimi et expiscari. Fortasse erit, qui sciens me Neapoli scribere, ubi est Collegium Sinensium ipsorum, mirabitur, quod non per hos Sinenses potius, quam per alios remotissimos et ignotos id exsequi et perfici velim. Sed hi scire debent Sinenses, qui Neapoli degunt, venire huc prorsus adolescentes, et vix et plane leviter Literis suis imbutos; hic nullos Libros attingere nisi Latinos, et quibus *Literatura* nostra *Ecclesiastica* tradatur; Nullos esse constitutos Praeceptores *Literaturae Sinicae*, et Libros etiam Sinicos valde paucos praesto esse ad tantam rem. Esset profecto optandum ut ex his Adolescentibus et Iuvenibus Sinis sollertiores et ingeniosiores in profunda Literatura nostra, et potissimum in *Linguis* etiam *Semiticis* erudirentur, esset optandum, ut iam excultiores et iam doctiores in ipsis Literis suis huc adveherentur, vel potius darentur Praeceptores, etiam in his Literis: Sed non omnia, quae optantur fieri possunt, vel semper praestat ita fieri. Quae autem possibilia sunt, Sinophili, qui sunt in praestantissimis Academiis Galliae, Angliae, et etiam Indiarum pro suo erga Sinicas Literas amore exsequi, et ad optatum finem sive ad Sanctae Veritatis manifestationem et demonstrationem conatu nobilissimo perducere adlaborent. Hos autem nostros conatus, haec desideria aequi bonique fac, Lector, et Vale.

Scribebam Neapoli Idibus Maii 1830.

SECTIO I.

HIEROGLYPHICA AEGYPTIA SELECTA EX LIBRO PRIMO HORI-APOLLINIS.

I. BASILISCUS CAUDAM ABDENS 1.

Αιωνα Αιγυπτιοι γραψαι βουλομενοι Οφιν ζωγραφουσιν εχοντα την ουραν υπο το λοιπον σωμα κρυπτομενην, ὂν καλουσιν Αιγυπτιοι Ουβαιον, ὃ εϛιν Ἑλληνιϛι Βασιλισκον.

Aevum Aegyptii scribere volentes *Serpentem* pingunt habentem *caudam absconditam* sub reliquo corpore. Hunc Aegyptii appellant Ubaeum, Graeci Basiliscum.

INTERPRETATIO.

Serpens, quem Aegyptii Ubaeum, Graeci Basiliscum appellarunt, Semitis est צפעני TZPONI, ut iam Bochartus ostendit in Hierozoico. Atqui צפעני TZPONI est homiophonon צפה-און TZPE-AVN, vel אואן AVAN, quae significant *abdens* condens, servans *tempus*, quod *Aevi* est. Ergo *Basilisco*, sive צפעני TZPONI, commode *Aevum* indicabitur.

Tum si צפעני TZPONI est חיה CIE Serpens, immo Vita, qui vivit, qui Aevum ducit: utique Aevi symbolum esse potest. Tandem *Serpens abdens caudam* est חיה CIE צפה TZPE זנב ZNB, quae etiam sunt: Vita occultans, abdens, nesciens finem et terminum, quod *Aevi* et Aeternitatis est. *Serpente* igitur sive צפעני TZPONI *caudam abscondente* recte potest *Aevum* significari.

II. SERPENS CAUDAM SUAM VORANS. 2.

Κοσμον Αιγυπτιοι βουλομενοι γραψαι Οφιν ζωγραφουσι την ἑαυτου εσθιοντα ουραν, εστιγμενον φολισι ποικιλαις.

Mundum Aegyptii volentes scribere *Serpentem* pingunt, squamis variegatis interstinctum, qui *voret caudam* suam, vel potius et rectius *corpus* suum, quum paullo post Horus subdat: τροφη χρησθαι τω ἑαυτου σωματι. Tum addit *Mundum* a *Serpente* huiusmodi significari, quod sit gravis, ut Terra, levis ut Aqua, et iuvenis quotannis, ut Mundus.

INTERPRETATIO.

Praecipua nomina *Mundi* Semitis sunt 1. דניא DNIA: 2. תבל TBL: 3. חלד CLD: 4. עולם OVLM. 5. Quibus ex praeclaro Auctoris instituto addendum est Graecum Κοσμον Semitice inflexum, nempe קשמים QSCMIM. Atqui inter *Serpentis* nomina est תנין TNIN, et contracte תן TN; vorare, edere est טבל THBL; corpus est גושם GVSCM. Si scripsero תן TN, טבל THBL, גושם GVSCM, erit mihi *Serpens vorans corpus*: quae quum sint homiophona vocibus דניא DNIA, תבל TBL, קשמים QSCMIM, quae sunt nomina Mundi, legitime *Mundus* significabitur a *Serpente vorante corpus* sive *caudam* suam. Praeterea *Serpens* נחש NCSC est *gravis* et ponderosus, ut Terra, תבל TBL; quia Temurice est חשן CSCN *crassus*, durus, est קש QSC, קש QSC, multis squamis interstinctus, adeoque קש QSC durus, crassus, ut קשמים QSCMIM *Mundus*. Tum, quoniam *Serpens* est etiam שחל SCCL, quod est homiophonon ש-קל SC-QL *levis*, mobilis, levissimus, erit propterea קל QL, קלת QLT,

ut חלד CLD, cui est homiophonon, quod est *Mundus* et Tempus. Tandem *Serpens* reiecta pelle quotannis fit עלם OLM adolescens *iuvenis*, ut *Mundus* עולם OVLM etiam quotannis fit עלם OLM *iuvenis* nova germinatione, et novis floribus, quasi nova iuventa inducta.

III. ISIS. 3.

Ενιαυτον δε βουλομενοι δηλωσαι Ισιν, τουτεςι Γυναικα, ζωγραφουσι.

Annum ostendere volentes *Isin*, hoc est *Mulierem*, pingunt.

INTERPRETATIO.

Annus Semitis est שנה SCNE, et si vis שני SCNI, Temurice ישן ISCN, ISIN. *Isis* ergo erit symbolum *anni* legitimum. Tum *mulier* est נשא NSCA, homiophonon Temuricum שנה SCNE *anni*, et ישן ISCN Isidis. Figura ergo Mulieris erit symbolum lexeographicum tum Isidis, tum Anni.

IV. RAMUS PALMAE etc. 4.

Μηνα δε γραφοντες βαϊν ζωγραφουσιν, η Σεληνην επεστραμμενην εις το κατω.

Mensem scribentes *ramum Palmae* pingunt, vel *Lunam* facie deorsum *conversa*.

INTERPRETATIO.

Ramus Palmae dicitur יחר ICR vel חריא CRIA, *Luna*, vel *Mensis*, quod idem est, ירח IRC. Tum *ramus Palmae* est coloris ירק IRQ, nempe arquati, quod prorsus Semiticum, homiophonon ירח IRC. Tertio *ramus* dicitur אמיר AMIR, Luna קמר QMR,

quae haberi possunt homiophona. Ergo *ramus Palmae* est Lexeoschema legitimum *Lunae*, sive *Mensis*, qui a Luna efficitur.

Meniscus porro, sive imago Lunae crescentis, quocumque modò statuatur, erit semper symbolum ideographicum *Mensis* : at erit etiam symbolum Lexeoschematicum tum *Lunae*, tum *Mensis*, cornibus ad Terram conversis. Nam אחר ACR Temura homiophona ירח IRC Lunae et mensis, est post, retro, deorsum. Tum קרי temura pariter homiophona ירח IRC est contra, adversus, ex adverso. Tandem קמר QMR Luna, est etiam tectum, res convexa, concamerata, ut omnino est *Meniscus*, gibbo ad Coelum converso. Ut igitur in *Menisco* possimus legere ירח IRC, et קמר QMR, quae sunt *Lunae* nomina, opus est ut eius cornua Terram respiciant.

V. ACCIPITER. 6.

Θεον βουλομενοι σημηναι, η ὑψος, η ταπεινωσιν, η ὑπεροχην, η αιμα, η νικην, η Αρεα, η Αφροδιτην, Ἱερακα ζωγραφουσι.

1. *Deum* volentes indicare, vel 2. *sublimitatem*, vel 3. *humilitatem*, vel 4. *praestantiam*, vel 5. *sanguinem*, vel 6. *victoriam*, vel 7. *Martem*, vel 8. *Venerem* pingunt *Accipitrem*.

INTERPRETATIO.

Accipitris nomina Semitica praecipua sunt 1. איה AIE 2. נץ NTZ, vel נצא NTZA.

1. *Deus* אהיה AEIE est homiophonon איה *Accipiter*, et נצח NTZC perpetuus, immortalis, aeternum victor et triumphator, Deus nempe, est homiophonon נצא NTZA *Accipiter*. Accipiter ergo

esse potest legitimum Lexeoschema *Dei* immortalis et invicti.

2. *Sublimitas*, celsitudo, altitudo est נשא NSCA, נסס NSS, נצצ NTZTZ, quae homiophona sunt נץ NTZ *Accipiter*.

3. *Humilitas*, abiectio, deiectio est צנע TZNO Temura homiophona נצא NTZA *Accipiter*.

4. *Praestantia*, excellentia est נצח NTZC homiophonon נצא NTZA *Accipiter*.

5. *Sanguis* est iterum נצח NTZC, et iterum נצא NTZA *Accipiter* est eius homiophonon.

6. *Victoria* est tertio נצח NTZC, et tertio נצא NTZA *Accipiter* est eius homiophonon.

7. *Mars*, bellum, contentio, lis est נצה NTZE homiophonon נצא NTZA *Accipiter*.

8. *Venus* sive concubitus est זנה ZNE homiophonon Temuricum נצא NTZA *Accipiter*.

VI. SCARABAEUS 10.

Μονογενες δε δηλουντες, η γενεσιν, η πατερα, η κοσμον, η ανδρα Κανθαρον ζωγραφουσι.

Significantes 1. *unigenitum*, 2. *generationem*, 3. *patrem*, 4. *mundum*, 5. *virum* pingunt *Scarabaeum*.

INTERPRETATIO.

Nomen *Scarabaei* Syris est חלותא CLVTHA: Tenendum vero videtur Semitis vetustioribus fuisse חלד CLD. Atqui

1. חלד CLD est *Aevum*, saeculum, perennitas generationum, *Mundus*.

2. חלד CLD est homiophonon חוליד CVLID, qui gignit, qui generat, *pater*.

3. Adeoque *mas*, masculus, vir.

4. Adeoque *genesis*, generatio.

5. Tandem *unigenitus* est יחיד ICID, יחד ICD, cui si addis articulum Arabicum אל AL vel ל L, quod fecisse quandoque Horum nostrum non dubitamus, unigenitus erit ל-יחד L-ICD, cuius est Temura homiophona חלד CLD *Scarabaeus*.

VII. VULTUR. 11.

Μητερα δε γραφοντες, η βλεψιν, η ὁριον, η προγνωσιν, η ενιαυτον, η Ουρανιαν, η ελεημονα; η Αθηναν, η Ηραν, η δραχμας δυο Γυπα ζωγραφουσι.

Scribentes 1. *matrem*, 2. *intuitum*, 3. *limitem*, 4. *augurium*, 5. *annum*, 6. *Venerem Uraniam*, 7. *misericordem*, 8. *Minervam*, 9. *Junonem*, 10. et *drachmas duas* pingunt *Vulturem*.

INTERPRETATIO.

Nomina *Vulturis* Semitica sunt רחם RCM, 2. ראה RAE, 3. דיא DIA vel דיתא DITA. Atqui

1. רחם RCM est matrix, uterus symbolum *matris* et genitricis naturale et necessarium. Ergo *Vultur* significabit *matrem* et parientem.

2. רחם RCM *uterus* matrix omnino sacra esse debuit Alittae et Milittae, sive Veneri Uraniae Assyriorum, Chaldaeorum, Palaestinorum, et Arabum, utpote quae sunt ab ילד ILD et מלט MLTH gignere, parere; partum educere, et quae absque *utero* dari non possunt.

3. רחם RCM *matrix*, adeoque *Vultur* recte tribuitur Neithae sive Minervae, non quidem Graecae et Etruscae, sed Aegyptiae, Solis matri, omnium seminum custodi, et quae ipsa *Isis* habenda est Urania et immortalis.

4. רחם RCM *matrix* iure conveniet Junoni sive

potius Herae, quia Dea pronuba, nuptialis, generationi praeses, et ipsa gravida, foeta הרה ERE ηρα Marte, Vulcano, Hebe. Immo satius Junoni Aegyptiae, sive *Isidi* Hori vel Mundi matri et nutrici. Tum Hera Ηρα Graecorum est homiophonon Temuricum ראה RAE, quod est aliud nomen Vulturis.

5. רחם RCM tandem est ipsa misericordia, ipsa pietas, ipsa ελεημοσυνη.

6. ראה RAE vidit, conspexit, intuitus est. Ergo *Vultur* ראה RAE erit Lexeoschema proprium intuitus, βλεψεως, ראה RAE.

7. ראה RAE vidit est homiophonon et homiodynamicum Graecae voci ὁραω, adeoque significabit illud *Vultur* ראה RAE.

8. ראה RAE non est tantum cernere oculis corporis, sed etiam mentis, animadvertere, praevidere, praemonere, praedicere, videre prophetice. Unde antiquitus ipsi Sancti Prophetae dicti ראה RAE, adeoque recte προγνωσις est ראה RAE, et recte a Vulture significabitur: et quoniam דיא DIA *Vulturis* Temura homiophona est ידע IDO *novit*, *scivit*, praescivit, unde ידעני IDONI augur; hinc etiam *Vultur* דיא DIA *augurium* significabit.

8 Si רחם RCM est *uterus*, et הרה Temura homiophona ראה RAE est faetura, graviditas, et singulis annis Natura foeta est, et omnis ager et arbos parturit, utique *Vultur* quae est רחם RCM et ראה RAE erit symbolum legitimum *Anni*, et temporum.

9. Tandem Graeco *didrachmo* symbolum congruum erit *Vultur:* est enim *Vultur* דיתא DITA, et רחם RCM, quae sunt homiophona Did-rachma, sive Didrachmo Graeco. Quod eo consilio fecit sagax Horus, ut pignore certissimo methodum suam nobis aperiret et firmaret.

VIII. VULTUR ET SCARABAEUS 12.

Ἡφαιςον δε γραφοντες Κανθαρον και Γυπα ζωγραφουσιν: Αθηναν δε Γυπα και Κανθαρον.

Vulcanum scribentes *Scarabaeum* et *Vulturem* pingunt, *Minervam* vero *Vulturem* et *Scarabaeum.*

INTERPRETATIO.

Scarabaeus, ut innuimus, est חלד CLD, *mas*, genitor, vir, foecundator, *Vultur* רחם RCM *matrix*, uterus, mater. Si ergo Aegyptiis *Vulcanus* et *Minerva* fuerunt Dii Arsenotheles, et vis mascula potior in *Vulcano*, potior faeminae in *Minerva*, ille rectissime significabitur *Scarabaeo* et *Vulture*, haec contra *Vulture* et *Scarabaeo.*

IX, STELLA. 13.

Θεον δε εγκοσμιον σημαινοντες, η είμαρμενην, η τον πεντε αριθμον Αςερα ζωγραφουσι.

Indicantes 1. *Deum* Mundanum, vel 2. *Fatum*, vel 3. numerum *Quinque* pingunt *Stellam.*

INTERPRETATIO.

1. נצץ NTZC Semitis est *Stella* crinita, Cometes, et significat insuper aeternum, immortalem, victorem, ducem, praefectum; adeoque Deum, eumque encosmium sive Mundo praefectum, et qui Mundanam molem pervadit, impellit, et agitat. Ipsam autem illam vocem נצץ NTZC spectasse sagaciter Horus his verbis aperte prodidit: Επειδη προνοια Θεου την Νικην προςασσει, et κινησιν efficit. Nam Graecorum Νικη et sono et re est ipsum

Semitarum נצז NTZC, et κινησις est eius Temura.

2. מזלות MZLVT *Stellae*, astra, a quibus regi humana Fata Veteres autumabant, adeoque adhiberi possunt ut *Fati* ipsius symbolum.

3. חנש CNSC sunt Planetae, astra errantia; et quoniam eos Veteres omnino quinque חמש CMSC esse putarunt, ideo Planetae חנש CNSC indicabunt חמש CMSC Quinque. Quos quidem Planetas aperte Horus prodidit his verbis: *πεντε μουνοι εξ αυτων αςρων κινουμενοι την του Κοσμου οικονομιαν εκτελουσι.*

X. CYNOCEPHALUS. 14.

Σεληνην δε γραφοντες, η οικουμενην, η γραμματα, η ἱερεα, η οργην, η κολυμβον Κυνοκεφαλον ζωγραφουσι.

Scribentes 1. *Lunam*, 2. *terrarum orbem*, 3. *literas*, 4. *Sacerdotem*, 5. *iram*, 6. *natationem* pingunt *Cynocephalum* (qui est species quaedam Simii).

INTERPRETATIO.

Nomina *Cynocephali* Semitica praecipua sunt 1. חרים CRIM, vel חרי CRI: 2. קוף QVP, קפא QPA, unde cebos et cepos Graecorum, et Ericepeus Orphicorum: 3. Pithecus, et Cercopithecus vox Latinis etiam nota. Significabit autem *Cynocephalus*:

1. *Lunam* ירח IRC, quia ipse est חרי CRI, vel *Lunam* קמר QMR, quia est חרים CRIM Temura homiophona.

2. *Mundum Terram* אפק APQ, quia est קפא QPA.

3. *Literas*: Nam *Pithecus* Semitis fortasse פטק PTHQ est homiophonon פתק PTQ scheda, *scriptura*. Tum פתח PTIC homiophonon iterum *Pitheco* est sculpere, *inscribere*. Tandem כתב KTB Temura homiophona est *liber*, scriptura.

4. *Sacerdotem* ἱερεα, tum ipsa vocis homiophonia, nam חרי CRI pronuntiari potest Temurice IEREH ἱερεα, tum quod חרים CRIM Simius Cynocephalus sit homiophonon חרם CRM separatus, divisus, consecratus addictus Deo; tum quod literae et scriptura, quam pluribus indicat *Pithecus*, sint Sacerdotibus propriae.

5. *Iram* חרי CRI, vel חרון CRVN, quod est ipsum *Simii* nomen, vel homiophonon: Germanis *Simius* est AF Anglis APE dubio procul a Semitico אפ AP ira, indignatio, quia revera est animal iracundum, et ad indignationem prorsus proclive.

6. *Natationem* קפא QPA, quia ipse est קופ QUP, קפא QPA, sive Cebos et Cepos Graecorum.

XI. LEO. 17.

Θυμον δε βουλομενοι δηλωσαι Λεοντα ζωγραφουσι. Κεφαλην γαρ εχει μεγαλην το ζωον, και τας μεν κορας πυροειδεις, το δε προσωπον ϛρογγυλον, και περι αυτο ακτινοειδεις τριχας, κατα μιμησιν Ἡλιου.

Animum volentes significare *Leonem* pingunt. Nam *magnum caput* est huic animali, *pupillae ignitae*, et *facies rotunda*, et circa eam *pili*, quasi radii ad similitudinem Solis.

INTERPRETATIO.

1. *Leo* Semitis est לביא LBIA, cor *animus* לבב LBB, לב LB, et להב LEB est flamma, ardor, aestus. Igitur *animi* לב LB *excandescentia* להב LEB recte significabitur a *Leone* לביא LBIA.

2. *Magnum caput* est רב RB ראש RASC. At רהב REB homiophonon רב RB est vis, robur, insolentia: רעש ROSC homiophonon ראש RASC est terrefaciens, perterrens, et שער SCOR eius temu-

ra est timendus, terribilis. *Caput* ergo *magnum Leonis*, ראש RASC, רב RB, לביא LBIA significabit *terribilem* רעש ROSC, *timendam* שער SCOR, *insolentiam* רהב REB, *animi* לב LB.

3. *Pupillae ignitae: Pupilla* est בת BT, בתה BTE vastatio, desolatio; flamma ignis להב LEB, cuius temura בלה BLE est consumens, perdens. *Pupilla* ergo בת BT *Leonis* לביא LBIA indicabit בתה BTE vastationem, prae *aestu* להב LEB *animi* לב LB.

4. *Facies rotunda* et *capillata* est אפ AP, עגל OGL, et שער SCOR. Scilicet est *ira* אפ AP, *praeceps*, rapida עגל OGL, et *horrenda* שער SCOR. *Leonis* ergo *capite*, adeoque ipso Leone omnis *animi impotentia* poterit recte significari.

XII. LEONIS ANTERIORA. 18.

Αλκην δε γραφοντες Λεοντος τα εμπροσθεν ζωγραφουσι.

Robur scribentes *anteriora Leonis* pingunt.

INTERPRETATIO.

Pars anterior alicuius obiecti Semitis dicitur כבר KBR, validus praevalidus כביר KBIR, vel ipsum כבר KBR: *anteriora* ergo sunt necessario *praevalida*. Atqui ipse *Leo* est כפיר KPIR homiophonon כביר KBIR. Ergo *anteriora* כבר KBR *Leonis* כפיר KPIR erunt omnino *praevalida* כביר KBIR. Et propterea quod erit *praevalidum* כביר KBIR indicabitur rectissime ab *anterioribus* כבר KBR *Leonis* כפיר KPIR.

XIII. LEONIS CAPUT. 19.

Εγρηγοροτα δε γραφοντες, η δε φυλακα Λεοντος γραφουσι κεφαλην.

Vigilantem et *Custodem* scribentes pingunt *Leonis caput.*

INTERPRETATIO.

Leonis caput est ראש אריה ARIE RASC, et quia est capillatum, ut superius adnotavimus, erit etiam שער SCOR. Atqui אריה ARIE *Leo* est homiophonon ראה RAE videre, cernere, intueri, et עיר OIR vigilare, excubias agere. Tum שער SCOR capillatus temura homiophona ראש RASC capitis est custos, ianitor, ostiarius. Ergo capite *Leonis* ראש RASC אריה ARIE significabitur custos ianitor שער SCOR, et qui tuetur cernit ראה RAE, et qui vigilat et excubat עיר OIR.

XIV. LEONIS CAPUT iterum 20.

Φοβερον δε σημαινοντες τῳ αυτῳ χρωνται σημειῳ.

Formidandum indicantes eodem symbolo utuntur, nempe *Leonis capite.*

INTERPRETATIO.

Caput capillatum Leonis est ראש RASC, שער SCOR אריה ARIE. At ראש RASC est homiophonon רעש ROSC commovit, perterruit, שער SCOR est *timendus* terribilis, et ירא IRA, active, perterruit, pavore exanimavit est homiophonon אריה ARIE *Leonis.* Ergo *Leonis caput* prorsus *terribilem* et plane *timendum* significat.

XV. NILI ADSCENSUS. 21.

Νειλου δε αναβασιν σημαινοντες, ποτε μεν Λεοντα γραφουσιν, ποτε τρεις ὑδριας μεγαλας, ποτε δε ουρανον, η γην ὑδωρ αναβλυζουσαν.

Nili adscensum significantes aliquando 1. *Leonem* pingunt, 2. aliquando *tres hydrias magnas*, aliquando *Coelum*, vel 4. *Terram* aquas scaturientem.

INTERPRETATIO.

1. *Leo* Arabibus est אסד ASD; manare, inundare, exundare אשד ASCD. Ergo *Leo* אסד ASD erit legitimum Lexeoschema effusionis aquarum אשד ASCD. Et profecto hoc vetustissimum Arabum lexeoschema in nostris fontibus adhuc servamus. Recte igitur Aegyptii Nili *inundationem* אשד ASCD significarunt *Leone* אסד ASD.

2. *Hydria* porro sive haustrum est דלי DLI, haurire, attollere, *magna* est גדל GDL, quod est etiam *crescere*, elevari, augeri. Adeoque *hydria magna* est symbolum opportunum elevationis Nili. Et quoniam tres est Chaldaice תלת homiophonon דלות DLVT hydriae, ideo numerus iste ternarius prae ceteris adhibetur.

3. *Coelum* est שמים SCMIM, quasi שם SCM, מים MIM locus, sedes aquarum, ut pluribus doctis Viris placuit; atqui Aegyptus post inundationem fit revera שם SCM locus, sedes aquarum מים MIM. Ergo *inundatio* Aegypti iure indicabitur a *Coelo*.

4. Tandem Terra aquas fundens est שדה SCDÈ Temura homiophona אשד ASCD, effundens aquas.

XVI. THURIBULUM. 22.

Αιγυπτον δε γραφοντες θυμιατηριον καιομενον ζωγραφουσι, και επανω καρδιαν.

Aegyptum scribentes *Acerram ardentem* pingunt, et super ea *cor*.

INTERPRETATIO.

Acerra sive thuribulum est קשוה QSCVE, ardens חום CVM, cor לב LB, super על OL. Atqui כוש KVSC homiophonon קשוה QSCVE est Thebais, sive Aegyptus superior, ut iam plures animadverterunt, et nos ipsi alibi ostendemus; חמה CME Chemia homiophonon חום CVM, est Aegyptus maxime inferior: לב LB cor est homiophonon לוב LVB Libya, Africa, super על OL, quia Aegyptus est in parte eius superiore. Haec ergo Regio, nempe כוש KVSC, חמה CME, לוב LVB, recte indicabitur ab *Acerra* קשוה QSCVE, *ardente* חום CVM, apposito *corde* לב LB.

XVII. LINGUA ET OCULUS. 27.

Το λεγειν δε γραφοντες γλωσσαν ζωγραφουσι, και ὑφαιμον οφθαλμον.

Dicere vero scribentes *linguam* pingunt, et *oculum subcruentum*.

INTERPRETATIO.

1. *Lingua* Semitis est לשן LSCN, homiophonon vocis Graecae λεγειν, si Gallico more pronuntiaveris gamma, nempe ut SC. Ergo *lingua* picta non modo ideographice, sed etiam lexeoschematice indicabit Graecum λεγειν.

2. *Oculus* porro est עין OIN, quod est etiam in-

spicere, animadvertere, attendere, quae necessaria ad recte loquendum, ut idem Horus observat. Et quoniam ענה ONE respondere alloqui est homiophonon עין OIN oculo, ideo *Oculo* etiam lexeographice indicabitur illud λεγειν.

3. Tandem *Sanguis* est דם DM, et דמה DME est cogitare, considerare, meditari, sine quibus nemo potest rationali modo λεγειν.

Linguâ ergo et *Oculo subcruento* rationale λεγειν recte indicabitur.

XVIII. LINGUA ET MANUS. 27.

Ετερως δε το λεγειν σημαινοντες γλωσσαν και χειρα υποκατω γραφουσι.

Aliter *Dicere* indicantes *linguam* et subtus *manum* pingunt.

Lingua לשן LSCN indicat recte, ut vidimus, Graecum λεγειν. Manus autem ימין IMIN est temura homiophona נאם NAM *dicere* λεγειν. Tum *manus* יד ID vel איד AID est homiophonon ידע IDO novit, scivit, consideravit, ex qua voce fit מדע MDO scientia, mens dicenti necessaria, et quoniam מטה MTHE subtus infra est homiophonon מדע MDO, ideo *manus* יד ID et ימין pingitur מטה subter *linguam*. *Lingua* igitur *manu* supposita, nempe לשן LSCN, יד ID, ימין IMIN, מטה MTHE, indicabunt *loqui* dicere נאם NAM, *sapienter* ידע IDO, *scienter* מדע MDO.

XIX. TONITRU. 29.

Φωνην δε μακροθεν βουλομενοι δηλωσαι αερος φωνην γραφουσι, τουτεςι βροντην, ἧς ουδεν καταφθεγγει μειζον, η δυναμικωτερον.

Vocem remotam volentes significare vocem aeris, nempe *tonitru* scribunt, quo nil maius, nec vehementius resonat.

INTERPRETATIO.

Vox remota et longinqua est קול QVL רחק RCQ. At *vox Coeli* est קול QVL רקיע RQIO, quae illis homiophona. Ergo iure *vox remota* et longinqua a *voce Coeli* sive *tonitru* indicabitur. Tum *Tonitru* sive רעם ROM est homiophonon רום RVM sublimis, celsus, remotus; quumque per excellentiam sit etiam קול QVL, rite *Tonitru*, sive קול QVL, et רעם ROM indicabit *vocem* קול QVL *celsam*, sublimem remotam רם RM.

XX. NUMERUS SEXDECIM. 32.

Ἡδονην δε δηλωσαι βουλομενοι δεκα και ἑξ αριθμον γραφουσι.

Voluptatem demonstrare volentes numerum *sexdecim* scribunt.

INTERPRETATIO.

Sex Semitis est שש SCSC, quod ipsum est gaudium, voluptas. *Decem* vero est עשר OSCR copia, abundantia, divitiae: adeo ut numerus sexdecim vi sua copiam et abundantiam rerum et voluptatis significet. Tum ערש ORSC Temura perfecta עשר OSCR, est thalamus, lectus genialis, et ארש ARSC est desponsatio, et אשר ASCR est ipsa felicitas et beatitudo. *Numero* igitur XVI plenissima *felicitas* potest iure significari. Et haec omnino causa habenda est cur Veteres puberem et nuptialem annum potissimum XVI, et non XV vel XVII habuerint.

XXI. FASCICULUS PAPYRI. 30.

Αρχαιογονιαν δε γραφοντες παπυρου δεσμην ζωγραφουσι.

Antiquam generationem scribentes *Papyri fasciculum* pingunt.

INTERPRETATIO.

Fasciculus dicitur אלמה ALME, Papyrus ברד BRD. Atqui עולם OVLM homiophonon אלמה ALME est aevum, saeculum, tempus vetustissimum, et רבד RBD temura ברד BRD Papyri est ordo, series, successio; et בר BR est filius, ברת BRT est filia. Ergo in Papyro ברד BRD est indicata successio et ordo generationum, in fasciculo אלמה homiophono עולם OVLM significata est vetustas et antiquitas.

XXII. PHOENIX. 34.

Ψυχην δε ενταυθα πολυν χρονον διατριβουσαν βουλομενοι γραψαι, η πλημμυραν, φοινικα το ορνεον ζωγραφουσι.

Animam hîc ad longum tempus commorantem, aut *inundationem* volentes scribere *Phoenicem* avem pingunt.

INTERPRETATIO.

Phoenix sive *Phenichs* Temurice est ipsum Graecorum ψυχην, sive *Psychen*, et quod aeque mirum videri posset, ipsum Semiticum נפש NPSC *Anima*, ψυχη. Quae sagaciter Horus noster vidit, et solerter ac cryptice prodidit. Nam vera et originalis pronuntiatio ש est *scha*, quam Parsi mira integritate servarunt, ut ex Tentamine nostro patebit;

Hinc *Nepsch* est temurice *Psychen*; et *Phoenichs:* Adeoque *Phoenix* erit legitimum Lexeoschema ψυχης, נפש NPSC, *Animae.* Et quoniam *Anima* seu *Psyche* est immortalis et perpetua, et ipsa *Phoenix* habebatur avis maxime longaeva, iure *Phoenix* erit Symbolum *Animae* hîc diutius diversantis.

2. Praeterea *inundatio* Semitis est שפך SCPK et inserto N, quod Arabibus frequentissimum, *inundatio* erit שפנך SCPNK. Atqui *Phoenichs* est Temura שפנך SCPNK. Ergo *Phoenix* significabit etiam *inundationem.*

XXIII. PHOENIX iterum. 35.

Και τον χρονιως δε απο ξενης επιδημουντα δηλουντες παλιν φοινικα το ορνεον ζωγραφουσι.

Et indicantes eum, qui post longum tempus ab externa Gente in Patriam redit, iterum *Phoenicem* avem pingunt.

INTERPRETATIO.

Phoenix sive *Phoenichs* Semitice scribi potest פנחהס PNECS, sive Phoenichs. Atqui פנה PNE est vertere, convertere faciem ad aliquid, הס CS redire reverti. Ergo פנה־הס PNE-CS, sive *Phoenichs* erit symbolum eorum, qui redeunt domum ex peregrinatione, et ea quidem longa et diuturna, quum ipsa avis habita fuerit maxime longaeva.

XXIV. IBIS. 36.

Καρδιαν βουλομενοι γραφειν ιβιν ζωγραφουσι.

Cor volentes scribere *Ibin* pingunt: quia Avis haec Mercurio fuit sacra cordis et rationis domino, et quod cordi ipsi Avis sit maxime similis.

INTERPRETATIO.

Ibis est יב IB, addito ל, L sive articulo, sive praepositione erit ל-יב L-IB homiophonon לב LB, *cor* ipsum. Tum יאב IAB, et אבה ABE homiophona יב IB sunt amare, valde cupere, desiderare, quae *cordis* sunt. Tertio *Cor* est בין BIN medietas, medium corporis nostri, et omnium fere animalium, et habet יבין IBIN Ibidem sibi homiophonon. Et tandem בינה BINE homiophonon יבין IBIN Ibidi, est prudentia, sollertia, sedulitas, quae sunt etiam *Cordis*, ut illa plura Latina et Coptica maxime nomina a *corde* desumta ostendunt. Ergo dicendum est recte Aegyptios loco *Cordis* לב LB, et parte hominis media בין BIN, et humana sollertia בינה BINE, pinxisse יבין IBIN Ibidem avem. Vide Sect. III. num. 10, et 11.

XXV. COELUM ROREM FUNDENS. 37.

Παιδιαν γραφοντες ουρανον δροσον βαλλοντα ζωγραφουσι.

Puerorum institutionem scribentes pingunt *Coelum rorem fundens.*

INTERPRETATIO.

Paedia sive *puerorum institutio* fit *auditione*, et *haustu* disciplinarum, nempe fit שמע SCMO auditu, auscultatione, et דלה DLE *haustu*, אלפ ALP *doctrinae*, disciplinae. Atqui שמע SCMO est homiophonon שמיא SCMIA *Coeli*; et דלה DLE est homiophonon טל THL pueri, adolescentis, iuvenis, et טלה THLE *roris*; et אלפ ALP *doctrina*, sive potius די-אלפ DI-ALP *copia* abundantia *doctrinae* est homiophonon דלפ DLP *fundere*, effundere. Ergo

Coelum שמיא SCMIA, *rorem* טל THL, *fundens* דלפ DLP; significabit *auditionem* שמע SCMO, et *haustum* דלה DLE, copiosae *doctrinae* די-אלפ DI-ALP, a *pueris* טל THL faciendum.

XXVI. ATRAMENTUM, CRIBRUM, ET IUNCUS. 38.

Αιγυπτιὰ δε γραμματα δηλουντες, η ἱερογραμματεὰ, η πέρας μελαν, και κοσκινον, και σχοινον ζωγραφουσι. Indicantes 1. *Aegyptias literas*, vel 2. *sacrum Scribam*, vel 3. *limitem* pingunt *atramentum*, *cribrum*, et *iuncum*.

INTERPRETATIO.

1. *Liber*, *scriptura* Semitis est ספר SPR, 2. *Scriba* sive *Grammateos* est ספר SPR. 3. *limes* sive *finis* est quoque ספר SPR. Quae vox est etiam Temura perfecta Graecae vocis πέρας, data opera a solertissimo Horo selecta, ut institutum suum evidenter demonstraret. Praeterea *iuncus* est סופ SVP, *limes* etiam סופ, SVP, *atramentum* est זפה ZPE, homiophonon סופ SVP, et *cribrum* dici potest etiam נופ NVP סופ SVP, quia ex iunco סופ SVP plerumque fit.

2. *Atramentum* μελαν dicitur זפה ZPE, et דיו DIV; adnecte vocem utramque, habebis זפה-דיו ZPE-DIV homiophonon ספר SPR *libro*, *limiti*.

3. *Cribrum* κοσκινον dicitur etiam רפשא RPSCA, Temura homiophona ספר SPR, *scriptura*, *scriptor*, *liber*, *terminus*.

4. *Juncus* σχοινος dicitur סופ SVP, et סופ-די SVP-DI est copia abundantia *iunci*, homiophonon ספר SPR *limiti*, *Scribae*.

Ergo *atramentum*, *cribrum*, *iuncus* significabunt *literas*, *Scribam*, *terminum*, sive potius πέρας, vocem nempe fundamentalem aenigmatis.

XXVII. CANIS. 39.

Ἱερογραμμάτεα δε παλιν, η προφητην, η ενταφιαςην, η σπληνα, η οσφρησιν, η γελωτα, η πταρμον, η αρχην, η διχαστην βουλομενοι γραφειν Κυνα ζωγραφουσι.

Rursus volentes scribere 1. *sacrum Scribam*, vel 2. *Vatem*, vel 3. *Pollinctorem*, vel 4. *lienem*, vel 5. *odoratum*, vel 6. *risum*, vel 7. *starnutationem*, vel 8. *principatum*, vel 9. *Iudicem* pingunt *Canem.*

INTERPRETATIO.

1. *Sacrum Scribam* indicabit *Canis latrans* שחל SCCL נבח NBC: quia sacer *Scriba* debet scire multa שכל SCKL, et meditari eloqui multa נבא NBA, et multis allatrare ὑλακτειν נבח NBC. Ex qua voce discimus Ἱερογραμματεα Hori respondere נביא NBIA Semitarum.

2. *Prophetam* seu Videntem חזה CZE significabit *Canis* שחל SCCL *somnians* הזה EZE, quia *Propheta* est שכל SCKL, intelligens, sciens, et maxime *somnians* הזה EZE putatur videre חזה CZE futura.

3. *Pollinctorem* sive curatorem et conditorem corporum humanorum post mortem, eum nempe qui viscera secat חרת CRT et חרץ CRTZ, ut condiat, indicabit *Canis acer*, pertinax חרץ CRTZ, vel hirriens et frendens הרהרת ERERT.

4. *Splenem* vel lienem טחל THCL indicabit *Canis* שחל SCCL *attentus* sollicitus שכל SCKL immutata Chaldaice ש SC in ת T.

5. *Odoratum* vel olfactum ריח RIC indicabit *Canis currens* vel velox חרר CRR, חר CR Temura vocis ריח RIC.

6. *Risum* שחק SCCQ significabit *Canis*, qui elevat pedem micturus שקק SCQC.

7. *Starnutationem* זורר ZVRR indicabit *Canis venans* זרזור ZRZVR.

8. *Principatum* indicabit *Canis blandus*, lenis תמלק THMLQ. Quia Rex est מלך MLK, et תם TM perfectus, absolutus.

9. *Judicem* דין DIN, מדין MDIN, prudentem שכל SCKL indicabit *Canis* שחל SCCL cum *Veste* מדה MDE, מדן MDN.

Hoc autem ipsum *Canis* aenigma, quod Horus Aegyptius est hic persecutus, occurrit in Scriptura Sinensi, qua plures characteres, in quibus est Clavis *Canis*, explicari et intelligi nequeunt, nisi haec *Canis* Epitheta Semitica, quae nescio qua praesensione iam collegit Bochartus in Hierozoico, habeantur perspecta. Adeo omnia vel remotissima cohaerent in Mundo!

XXVIII. HOROSCOPUS. 42.

Ὡροσκοπον δε δηλουντες ανθρωπον τας ὡρας εσθιοντα ζωγραφουσι.

Horarum sive temporum *inspectorem* indicantes *hominem Horis vescentem* pingunt.

INTERPRETATIO.

ברה BRE Semitis est comedere et explorare, ערן ODN est tempus, opportunitas, et res gustui suavis deliciosa. Ergo qui rebus horaeis vescitur, qui ברה BRE ערן ODN, significat illum qui explorat investigat ברה BRE, tempora, horas, opportunitates ערן ODN. Praeterea טעם THOM ערן ODN est iterum gustare res suaves deliciosas, atque observare tempora.

XXIX. IGNIS ET AQUA. 43.

Αγνειαν δε γραφοντες πυρ και ὑδωρ ζωγραφουσιν. Επει δια τουτων των στοιχειων πας καθαρμος εκτελειται.

Purificationem scribentes, *ignem* et *aquam* pingunt; per haec enim elementa omnis *expiatio* perficitur.

INTERPRETATIO.

Ignis Semitis est אש ASC, *aqua* est מים MIM, vel מיא MIA: si has voces mutuo adnectimus, habebimus אשמיא ASCMIA. Atqui אשמה ASCME homiophonon אשמיא ASCMIA est *purificatio* ab impuritatibus, est *expiatio* a peccatis. Ergo huiusmodi *purificatio* et *expiatio* fiet opportunissime per אש ASC *ignem*, et מיא MIA *aquam*: et ea insuper ratione, quod מסה MSE temura homiophona אשמה ASCME sit dissolvere per *ignem*, et משה MSCE sit extrahere ex *aqua*. Ergo iure *purificationem* אשמה ASCME exhibebimus per *ignem* אש ASC, et per *aquam* מיא MIA. Et propterea non dubito, quin veteres Sacerdotes ad has etiam homiophonias et congruentias spectaverint, quum *ignem* et *aquam* inter elementa *purificantia* et *expiatoria* retulerunt et constituerunt.

XXX. SERPENS. 45.

Στομα δε γραφοντες Οφιν ζωγραφουσι.
Os scribentes *Serpentem* pingunt.

INTERPRETATIO.

Est genus *Serpentis* dictum a Semitis אפעא APOA homiophonon פה PE, פהה PEE os oris, et ipsi Graeco vocabulo οφει: adeoque erit oris פה PE Lexeoschema et symbolum Semiticum אפעא APOA, et Graecum οφει, nempe *Serpens*. Tum aliud *Serpentis* genus Semitis est שפפ SCPP vel שפ SCP homiophonon שפה labii, *oris*, et temura homiophona vocis Graecae οφις οφεως. Et propterea iterum *oris* Lexeoschema et symbolum erit opportunum quidem, sed crypticum *Serpens*, ut dictum alibi. In Scriptura enim cryptica et abstrusa, obiecta schematica possunt per alia et diversa schemata exprimi; in regulari et legitima non possunt.

XXXI. TAURUS. 46.

Ανδρειον δε μετα σωφροσυνης δηλουντες Ταυρον ὑγια φυσιν εχοντα ζωγραφουσι.
Virilitatem cum *temperantia* coniunctam indicantes *Taurum* integra valetudine pingunt. Nam ardentissime concumbit, et ceterum modestus et temperans est.

INTERPRETATIO.

Taurus Semitis dicitur פר PR, et תור TVR pro שור SCVR; פר PR est iuvencus validus ὑγια φυσιν εχων, ardens, foecundator; תור TVR contra est ordo, lex, modus, ratio, prudentia. *Taurus* ergo indi-

cabit una *virilitatem* ardentem פר PR, et *modestiam*, *temperantiam* תור TVR.

XXXII. AURIS TAURI. 47.

Ακοην δε γραφοντες ταυρου ωτιον ζωγραφουσι.

Auditum scribentes *Tauri aurem* pingunt. Vaccam enim se ad concubitum appellantem etiam ex longissimo intervallo audit.

INTERPRETATIO.

Auris est אזן AZN, *Taurus* פר PR: *Concubitus* vero dicitur זנה ZNE, *Vacca* פרה PRE. Atqui haec sunt illis homiophona. Ergo *auris* אזן AZN, *Tauri* פר PR, omnino audiet vocem *concubitus* זנה ZNE, *vaccae* פרה PRE. Accedit, quod *auris* אזן AZN *Tauri* תור TVR est אזן AZN *auris* תור TVR attenta, diligens, *explorans*, et quae *auris* per excellentiam dici possit.

XXXIII. HIRCUS. 48.

Αιδοιον δε ανδρος πολυγονου δηλουντες τραγον ζωγραφουσιν, ουκετι δε ταυρον.

Penem hominis *prolifici* indicantes non *Taurum*, sed *Hircum* pingunt.

INTERPRETATIO.

דכר DKR est *masculus*, דכר DKR est *penis*, דכר DKR est *Hircus*. *Hircus* igitur erit Lexeoschema prolifici, gignentis, mariti. Atqui *Taurus* dicitur quidem פר PR, sed non dicitur דכר DKR vel זכר ZKR. Ergo non potest adhiberi ad hoc Lexeoschema, ut potest et debet *Hircus*, qui est דכר DKR.

XXXIV. ORYX. 49.

Ακαθαρσιαν δε γραφοντες Ορυγα ζωγραφουσι.
Impuritatem scribentes *Orygem* pingunt. Nam primum *vociferatur* ad Lunam *non fausta* imprecans. Secundo *aspicit torve*, et *intuetur maligne*. Tertio *turbat* et *foedat* aquas in deserto.

INTERPRETATIO.

1. *Oryx* sive *Orychs* est perfecta Temura שעיר SCOIR, sive melius SCHOIR, singulare nominis שעירים SCHOIRIM, de quibus multus et gravis sermo semper fuit inter veteres Orientales.

2. *Orychs* autem sive שעיר SCOIR omnino *horrenda* et infanda *canit*, quia שור SCVR homiophonon שעיר SCOIR est *canens* imprecans, et aliud homiophonon שער SCOR significat *mala*, *metuenda*, abominanda.

3. *Orychs* sive שעיר SCOIR *aspicit torve* et *intuetur maligne*, quia est homiophonon שור SCVR *aspiciens*, *intuens*, et שער SCOR, quod est *torve*, *maligne*, terribili modo.

4. *Orychs turbat* et *foedat* aquas, quia רעש ROSC, Temura שעיר SCOIR, est *movere* agitare, et שער SCOR est *foedare*, *inquinare*.

Jure igitur *Orychs* sive *Oryx* erit symbolum *foeditatis* et *malignitatis*.

XXXV. MUS. 50.

Αφανισμον δε δηλουντες Μυν ζωγραφουσι.
Evanescentiam indicantes *Murem* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. Graecorum μυς et Latinorum *mus* est Temura inversa Semitici שמם SCMM vel שם SCM, vastationis nempe, desolationis, destructionis, adeoque αφανισμου. Nec est improbabile vel revera ex hac voce Semitica illam tum Graecam tum Latinam fuisse desumtam, vel Horum saltem ad illam respexisse.

2. Praeterea *Mus* Semitis est פאר PAR vel פר PR, a פרר PRR frangere, comminuere, rodere, destruere, inducere αφανισμον.

3. Tandem est genus *Muris*, qui dicitur a Semitis פנח PNC, sive *aphanec*, et quod deduci potest ab homiophono פנה PNE, quod est destruere, perdere, facere evanescere: adeo ut et sono et re αφανι-σμῳ Hori congruat Semiticum פנה-שם PNE-SCM, sive *aphanismo*, quae prorsus homiophona.

Et Horum quidem ad illud פנה PNE revera spectasse solerter, ut solet, indicavit, tum Pistorum פנד PND memoriam iniiciens, tum rerum bonarum et gratarum פנק PNQ, quod omnino est delicate et beate vivere, et homiophonon פנח PNC, sive aphanec *Muris*.

XXXVI. VULPANSER. 53.

Ὑιον δε βουλομενοι γραψαι χηναλωπεκα ζωγραφουσι. Τουτο γαρ το ζωον φιλοτεκνοτατον ὑπαρχει.

Filium volentes significare *Vulpanserem* pingunt. Hoc enim animal maxime amans est liberorum.

INTERPRETATIO.

Vulpanser Semitis est בר BR אווא AVZA. Atqui

בר BR est *filius*, et יצא ITZA homiophonon אוזא AVZA est pariter *filius*. Ergo *Vulpanser* est legitimum Lexeoschema *filii*. Eoque magis, quod עז OZ validus, יעז IOZ robustus fortissimus sunt aeque homiophona vocis אוזא AVZA, et filiis ad bonum omen congruentia.

XXXVII. CICONIA. 55.

Ευχαριςιαν δε γραφοντες Κουκουφαν ζωγραφουσι.
Gratitudinem scribentes *Cucupham* pingunt.

INTERPRETATIO.

Quae hic ab Horo dicitur *Cucupha*, esse Graecum πελαργον, et Latinam *Ciconiam* puto, adeoque respondere Semitico חסידה CSIDE, quae pietatem et ipsam ευχαριςιαν Graecorum significat.

XXXVIII. UNGUES HIPPOPOTAMI. 56.

Αδικον δε και αχαριςον βουλομενοι γραφειν Ἱπποποταμου ονυχας δυο κατω βλεποντας ζωγραφουσι.
Iniustum vero et *ingratum* volentes scribere, *Hippopotami ungues duos deorsum respicientes* pingunt.

INTERPRETATIO.

Hippopotamus Semitis est בהמות BEMVT; Bestia nempe בהם BEM, bruta, fera, atrox, et quasi faciens בהה BEE solitudinem מות MVT mortis. Tum *unguis* טפר THPR vel צפר TZPR, est vincere, superare, debellare, et Temura טרפ THRP est lacerare, discerpere, et alia Temura רפצ RPTZ est calcare, proculcare; quas immanitates in ipsum patrem suum admittere Hippopotamum tum Horus,

tum alii testantur. *Duo* autem *ungues* pinguntur, ut unus sit Lexeoschema טפר THPR, alius sit צפר TZPR; pinguntur vero respicientes שור SCVR deorsum מטה MTHE: quia indicant שער SCOR horrendam pessimam צור TZVR angustiam, vexationem, et tandem מות MVT mortem, necem, discerptionem. *Ungues* igitur *duo Hippopotami* picti *scelestam* eius et *iniustam naturam* plane exprimunt.

XXXIX. COLUMBA. 57.

Αχαριςον και μαχιμον τοις ἑαυτου ευεργεταις σημαινοντες περιςεραν ζωγραφουσι.

Ingratum et *pugnam inferentem* iis ipsis a quibus beneficio affectus est significantes *Columbam* pingunt.

INTERPRETATIO.

Columba Semitis est יונה IVNE, nempe oppressit, afflixit, violavit. Tum dicitur קמאמא CMAMA, quasi חמיה CMIE iracundia indignatio in אם AM matrem genitricem, vel קום QVM insurgere, ad surgere contra in אם AM matrem, quae ingratitudo pessima.

XL. COLUMBA iterum. 57.

Καθαρον δε τουτο το ζωον περιςερα ὑπαρχειν δοκει.

Purum tamen hoc animal, *columba* nempe, videtur esse.

INTERPRETATIO.

Quum *Columba* Horo esset tam pravum animal, aliquis iure expectasset ut faceret etiam impurum. Nam revera יון IVN est lutum, coenum, et חמאה CMAE est etiam lutum et coenum. At Grae-

cum nomen περιςερα *Columbam* ab ista calumnia liberavit. Nam περιςερα est quasi περις-θερα: et περις Laconice περιρ est ipsum Semiticum ברר BRR et latinum *purus*, mundus, vel בהר BER candidus, nitidus, expurgatus. Et θερα est ipsum טהר THER iterum purus, mundus, purificatus. Ideo tandem Horus, etsi obstantibus יון IVN et חמאה CMAE, quae coenum significant, ad declarandam *puram Columbam* animum inclinavit.

XLI. APIS. 62.

Λαον προς βασιλεα πειθηνιον δηλουντες Μελισσαν ζωγραφουσι.

Populum Regi obedientem indicantes *Apem* pingunt.

INTERPRETATIO.

Apis Semitis est דברה DBRE, verbum, iussum, praeceptum, administratio, regimen est ipsum דבר DBR: *Apis* ergo est Lexeoschema obedientis auscultantis דבר DBR praeceptum; Populi nempe ad regimen דבר DBR ordinati et recti praecepto דבר DBR.

XLII. FULLO. 65.

Γναφεα δε δηλουντες δυο ποδας ανθρωπυ εν ὑδατι ζωγραφουσι.

Fullonem indicantes *geminos pedes* hominis in aqua pingunt.

INTERPRETATIO.

Fullo Semitis est רגל RGL, *pes* hominis est רגל RGL, et ipse homo רגל RGL. Duo ergo *pedes* hominis picti erunt רגל RGL homo, et רגל RGL

Fullo; eruntque adeo Lexeoschemata *Fullonis* evidentia, maxime aquâ additâ.

XLIII. CROCODILUS. 67.

Ἅρπαγα δὲ, ἢ πολύγονον, ἢ μαινόμενον βουλόμενοι σημῆναι Κροκόδειλον ζωγραφοῦσι.

Rapacem, vel *foecundum*, vel *furentem* volentes indicare *Crocodilum* pingunt.

INTERPRETATIO.

Crocodilus Aegyptiis χαμψα pronuntiatione Graeca, vel Emsach Coptica respondet Semitico חמס CMS, qua voce natura pessimae belluae plenissime exprimitur. Est enim חמס CMS violenter agere, iniuriam facere, abripere, violare; adeoque Crocodilus חמס CMS iure notat ἅρπαγα. Aliud vero *Crocodili* nomen est פרעון PROVN, ad quod nomen dubio procul adludunt Hebraeorum Prophetae, quum Pharaonem Crocodilo in Nilo cubanti comparant: פרעון PROVN vero homiophonon est פרה־און PRE-AVN, quae copiam abundantiam foecunditatis et prolificationis notant. Ergo iure Crocodilus פרעון PROVN significat πολύγονον. Tandem פרעון PROVN homiophonon est etiam פרא־און PRA-AVN, et פרא PRA est ferocire, saevire, furere, et און AVN iniquitas, scelus. Crocodilus igitur significabit etiam vehementer et malefice μαινόμενον.

SECTIO II.

HIEROGLYPHICA AEGYPTIA SELECTA EX LIBRO SECUNDO HORI-APOLLINIS.

I. STELLA. 1.

Αςηρ παρ' Αιγυπτιοις γραφομενος, ποτε μεν Θεον σημαινει, ποτε δε δειλην, ποτε δε νυκτα, ποτε δε χρονον, ποτε δε ψυχην ανθρωπου αρρενος.

Stella depicta Aegyptiis modo 1. *Deum* significat, modo 2. *crepusculum vespertinum*, modo 3. *noctem*, modo 4. *tempus*, modo 5. *animam hominis masculi.*

INTERPRETATIO.

1. *Deus* dicitur a Semitis איל AIL, אל AL; *Luna* חלאל ELAL, *Luciferi Stella* חילל EILL, quae homiophona. Tum נצח NTZC dici potest Deus, quia נצח NTZC est perennis, perpetuus, dux, praesul, victor, et triumphator. Atqui נצח est etiam *Stella* comata, Cometes. Ergo *Stellae* sunt, per quas *Deus* poterit commode indicari.

2. *Hesperus* sive *Stella Veneris* Syris et Arabibus est כוכב KVKB משא MSCA, *Stella Vesperi*, Stella *crepusculi*: adeoque tum re tum nomine *crepusculum et vesperam* notat.

3. *Nox* Arabibus est חכב CKB, *Stella* omnibus Semitis כוכב KVKB. Tum *Nox* est Semitis לילא LILA, לילה LILE, *Luna*, ut adnotatum, חלאל ELAL, *Stella Veneris* חילל EILL. Ergo *Nox* indicari poterit a *Stellâ*.

4. *Tempus* dicitur און AVN, איאן AVAN; et

Solem dictum און AVN, אן AN, עין OIN ab Aegyptiis, Syris, Palaestinis certum est.

5. Tandem *anima* dicitur רוח RVC Temura homiophona ירח IRC *Lunae*, et זכר ZKR *masculus* est Temura pariter homiophona אזהרה AZERE Planetae Veneris; adeoque *Luna* ירח IRC, et *Venus* אזהרה AZERE, imo eadem *Luna* זהרה ZERE indicabunt *animam* hominis *masculi*.

II. STELLA iterum. 2.

Και Αετου νεοσσον, αρρενογονον, και κυκλωτηδον (αςηρ) σημαινει, η σπερμα ανθρωπου.

Insuper *Stella* 1. *pullum aquilae*, 2. *masculorum procreatorem*, 3. *figuram circularem*, et 4. *semen hominis* significat.

INTERPRETATIO.

1. *Aquila* dicitur נשר NSCR, *pullus*, proles, filius dici potest זרע ZRO; *Luna* dicitur סהר SER et שהר SCER, vel סהרן SERN, et שהרן SCERN. Tum Planeta Veneris est אזהרה AZERE vel זהרא ZERA. Atqui סהרן SERN et שהרן SCERN sunt Temurae homiophonae נשר NSCR *Aquilae*; et אזהרה AZERE vel זהרה ZERE est homiophonon זרע ZRO *filio* proli. Ergo *Stellá* indicari poterit *pullus Aquilae*.

2. Praeterea *Lunam* et *Venerem* dictas fuisse apud Chaldaeos et Arabes *Mylittam* et *Zoharam* certum est. Atqui *Mylitta* est ab ילד ILD et מלט MLTH *genuit*, generavit, et זהרה ZERE vel אזהרה AZERE est homiophonon זכר ZKR *masculi*. *Luna* igitur et *Venus* significare potuerunt αρρενογονον.

3. *Luna* dicitur סהר SER, dicitur etiam שהר SCER. Atqui tum סהר SER, tum שהר SCER significant rem circularem rotundam. Quin זר ZR cir-

culus, res circularis est etiam homiophonon אזהרה AZERE Veneri. Ergo *Stellâ* significabitur *circulus*, et res rotunda.

4. Tandem *semen* hominis est זרע ZRO, homiophonon זהרה ZERE *Lunae*, et אזהרה AZERE *Veneri*.

III. COR, et PHARYNX. 4.

Ανθρωπου καρδια φαρυγγος ηρτημενη αγαθου ανθρωπου στομα σημαινει.

Hominis *cor faucibus* appensum *boni Viri os* significant.

INTERPRETATIO.

Cor est לבב LBB, *pharynx* לבלבא LBLBA, ostium, ianua, *os* באב BAB, et articulo praeposito אל-באב, AL-BAB, sapiens bonus *cordatus* est נ-לבב N-LBB. Ergo *cor* לבב LBB, cum *pharynge* לבלבא LBLBA, significabit *ostium os* אל-באב AL-BAB Viri cordati נ-לבב N-LBB.

IV. COTURNICIS OS. 10.

Ορτυγος οστεον ζωγραφουμενον διαμονην, και ασφαλειαν σημαινει.

Coturnicis os pictum *firmitatem*, et *securitatem* indicat.

INTERPRETATIO.

Coturnix est שלו SCLV, *securitas*, tranquillitas, quies est שלה SCLE; *os* ossis est עצם OTZM, firmissimum validissimum ipsum עצם OTZM. Ergo *os* עצם OTZM *Coturnicis* שלו SCLV, significabit עצם OTZM *firmitatem*, שלה SCLE *securitatem*.

V. VIR ARMATUS. 12.

Ανθρωπος καθωπλισμενος, και τοξευων οχλον σημαινει.

Homo *armatus* et *iaculans* significat *turbam.*

INTERPRETATIO.

Arma dicuntur הצן ETZN, *turba*, populus צאן TZAN, iaculari רב RB, multitudo caterva idem רב, RB, vel רבה RBE. Ergo homo *armatus* הצן ETZN, et *iaculans* רב RB, significabit *turbam* רבה RBE, *populi* צאן TZAN.

VI. SOLIS DISCUS, ET STELLA. 14.

Γυναικα εγγυον βουλομενοι δηλωσαι ἡλιου κυκλον συν αςερι μετα ἡλιου δισκου διχα τετμημενου σημαινουσι.

Mulierem desponsatam volentes demonstrare *Solis circulum* cum *Stella* super *Solis disco bipartito* indicant.

INTERPRETATIO.

1. *Circulus*, *discus* dicitur דור DVR. 2. *Sol* חרס CRS: 3. *dividere* חלק CLQ. 4. *supra* על. 5. *Stella* כוכב KVKB: Adeoque *Stella super disco Solis bipartito* erit: 1. כוכב KVKB, 2. על OL, 3. דור DVR, 4. חרס CRS, 5. חלק CLQ. Atqui כוכב KVKB *Stella* aequivalet חן CQ sinui, חבב CBB amanti, quod nuptiis opportunum: *Stella* ergo in Emblemate Nuptiali rite adponetur. Quin longe opportunius, si haec *Stella* erit *Stella* Veneris genialis זהרה ZERE, vel אזהרה AZERE, *splendida*, pulcra, amabilis. 2. על OL *super* est etiam *iugum*, adiugatio Symbolum plane proprium *coniugii.* 3. דור

*

DVR est habitare, manere, ordinare, gignere, quae nuptiarum propria. 4. τῳ חרס CRS *Soli* est homiophonon כרש KRSC venter uterus, et ארס ARS ipsa sponsa, et ערס ORS thalamus nuptialis. Tum חמה CME idem *Sol* est homiophonon חום CVM calori ardori, et כמה KME amore desiderio aestuare, et שמש SCMSC *Sol* tertio est ministrare servire: quae omnia in bonis nuptiis vel necessaria vel utilia. 5. חלק CLQ tandem sunt etiam blanditiae, gratia, quae nubentibus opportunae. Magnâ ergo sollertiâ Stemma nuptiale ab Horo nostro confectum est.

VII. VESPA VOLANS. 24.

Σφηξ αεροπετης, ητοι αἱμα κροκοδειλου βλαπτικον, η φονον σημαινει.

Vespa per *aerem volans* aut *Crocodili noxium sanguinem*, aut *caedem* significat.

INTERPRETATIO.

Vespa est דברה DBRE, volare נצה NTZE, *aer*, coelum שחק SCCQ, et praeposita מ M משחק MSCCQ, *sanguis* נצח NTZC, *Crocodilus* חמס CMS. Atqui *Vespae* דברה DBRE est homiophonon דבר DBR pestifer, *noxius*; נצה NTZE *volanti* est homiophonon נצח NTZC *sanguis*; *aeri* משחק MSCCQ est Temura homiophona חמס CMS *Crocodilus*. Ergo *Vespa* דברה DBRE, *volans* נצה NTZE, per *aerem* משחק MSCCQ, significabit *pestiferum* דבר DBR, *sanguinem* נצח NTZC, *Crocodili* חמס CMS. Et quoniam דברה DBRE est etiam *caedes*, mactatio, *Vespa* דברה DBRE significabit etiam *necem* φονον דברה DBRE.

VIII. NYCTICORAX. 25.

Νυκτικοραξ θανατον σημαινει, αφνω γαρ επερχεται τοις νεοσσοις των κορωνων κατα τας νυκτας, ὡς δ θανατος αφνω επερχεται.

Nycticorax significat *Mortem*. Repente enim invadit nocte pullos Cornicum, quemadmodum repente Mors adventat.

INTERPRETATIO.

1. Quemadmodum *Nycticorax* תנשכות TNSCMVT, 2. *repente* פתע PTO, 3. *invadit* גזל GZL, 4. pullos גוזל GVZL, 5. *Cornicum* ערב ORB, 6. *nocte* אישון AISCVN: Ita *adversa* שטן SCTHN Temura homiophona תנש TNSC, ita adversaria *Mors* מות MVT, 2 *invadit* גזל GZL, 3. *abripit* גזל GZL, 4. *turbam* ערב ORB, 5. *hominum* איש AISC. Iure igitur *Nycticorax* תנש-מות TNSC-MVT est symbolum *inimicae Mortis* שטן-מות SCTHN-MVT.

IX. SERMONES, FOLIA, et LIBER. 27.

Λογοι, και φυλλα, η βιβλιον εσφραγισμενον παλαιοτατον σημαινει.

Sermones, et *folia*, vel *liber sigillatus* indicant *vetustissimum*.

INTERPRETATIO.

1. *Sermo* dicitur דבא DBA, et דבא DBA est etiam *vetustus* et *antiquus*. 2. *Folia* sunt עלים OLIM vox homiophona עולם OVLM *aevum*, *saeculum*, vel vetustissimum 3. *Sigillum* dicitur חתם CTM homiophonon קדם QDM, quod *antiquissimum* notat. 4. *Scriptura*, scribere est חתה CTHE Temura ho-

miophona עתק OTQ *antiquus* vetustus. Quin hîc potius illa sollertia Auctoris nostri laudanda est, qua ad ipsam Graecam vocem βιβλια Semitice consideratam spectavit. Nam בליא BLIA Semitis est longaevitas senectus, et ב-בליא B-BLIA est in longaevitate. Βιβλια ergo sive ב-בליא B-BLIA erunt omnino ב-בליא B-BLIA, nempe in longaevitate, adeoque παλαιοτατα significabunt.

X. MUSTELA. 36.

Γυναικα ανδρος εργα πραττουσαν βουλομενοι σημηναι Γαλην ζωγραφουσι.

Mulierem viri opera *facientem* indicantes *Mustelam* pingunt.

INTERPRETATIO.

Mustela a Semitis dicitur חלד CLD, et est generis masculini, חוליד CVLID homiophonon חלד CLD est genitor, maritus, qui facit parere. Ergo *Mustelae* חלד CLD inest vis mascula, et qua viri opera potest exsequi. Sed Graecum Γαλη et Latinum *Mustela* est generis foeminini. Γαλη igitur sive *Mustela* indicabit quidem *mulierem*, quia est generis foeminini, sed quum respondeat Semitico חלד CLD generis masculini, et qui significat ανδρα, iure indicabit γυναικα ανδρος εργα πραττουσαν.

XI. LEO. 38.

Ει δε θυμον αμετρον, ώς τε και εκ τουτου πυρεττειν τον θυμουμενον, λεοντα ζωγραφουσιν εξοστιζοντα τους ιδιους σκυμνους.

Si *iram immoderatam*, ex qua qui ea com-

motus fuerit *febrim* contraxerit, volunt describere, *Leonem* pingunt *catulos* suos *exossantem*.

INTERPRETATIO.

1. Homo איש AISC, vel אל־איש AL-AISC, qui ex 2. ira קצף QTZP, 3. vehementissima עצם OTZM, contraxerit 4. febrim אשתא ASCTA: indicabitur a 1. Leone ליש LISC, qui 2. frangat קצב QTZB, 3. ossa עצם OTZM, 4. Leunculi אסר ASP. Nam haec duo Lemmata sunt mutuo homiophona.

XII. CYCNUS. 39.

Γεροντα μουσικον βουλομενοι σημηναι Κυκνον ζωγραφουσι.

Senem Musicum volentes indicare *Cycnum* pingunt.

INTERPRETATIO.

Vox *Cycnus* fit ex חג CG *choro*, tripudio, festo, et אנש ANSC *homine*: et inverse ab ישן ISCN *Sene*, et iterum חג CG *festo*. Et quoniam nullum est festum, et nullus chorus Religiosus, qui agatur absque Musica, et cantu; ideo rectissime *Cycnus* indicabit hominem אנש ANSC, senem ישן ISCN, Musicum חג CG, festa celebrantem חג CG.

XIII. SCARABAEUS CAECUS. 41.

Ανδρα δε ὑπο ἡλιακης ακτινος πυρεξαντα, και ενευθεν αποθανοντα βουλομενοι σημηναι Κανθαρον τυφλον ζωγραφουσι.

Virum, qui ex *solaribus radiis* contractâ *febre* perierit volentes indicare *Scarabaeum caecum* et *mortuum* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. Homo, vir, aliquis pater אב AB, qui 2. contracta febri חרחור CRCR, 3. ex ardore חרי CRI, 4. Solis חמה CME, vel 5. שמש SCMSC, 6. perierit דמה DME, vel 7. mortuus fuerit מות MVT: significabitur a Scarabaeo 1. אבו ABV, 2. 3. כואר KVAR, 4. coeco עמה OME, vel 5. שמי SCMI, et mortuo 6. דמה DME, vel 7. מות MVT. Duo enim Lemmata sunt mutuo homiophona.

XIV. SCARABAEUS idem. 41.

Οὗτος γαρ Κανθαρος ὑπο του ἡλιου τυφλουμενος αποθνησκει.

Is enim *Scarabaeus* a *radiis Solis excaecatus interit.*

INTERPRETATIO.

Scarabaeum apud Aegyptios Soli maxime fuisse sacrum ex Clemente Alexandrino, aliisque Veteribus constat. Adeoque certum est habitum fuisse, ut schekina, habitatio, et domus Solis, nempe ut חרס CRS *Solis* בית BIT *domus*. Et propterea non dubito, quin Latina vox *Scarabaeus* sit Aegyptia, et omnino facta a חרס CRS, et בית BIT, ת T tantum in *S* immutata ad declinationis necessitatem, et חרס CRS Temurice scripto כחר SCR. At בית BIT est homiophonon בת BT *pupillae* oculi, et בתה BTE est *perdere*, vastare, et חרס CRS est etiam exsiccare. Ergo *Sol* חרס CRS, *exsiccabit* חרס CRS, *perdet* בתה BTE *pupillas* בת BT *Scarabaei*: adeoque faciet illum coecum: immo *Sol* חרס CRS perdet בתה BTE totum Scarabaeum, sive כחר-בית SCR-BIT. Quantum quidem ad religionem illam Scarabaei

faciat ista caecitas a Sole, non video. Sed minime necesse est Horum IV. adhuc vel V. saeculo Christiano illa religione teneri debuisse : quin Horus ipse est, qui coecum facit Scarabaeum a Sole, et a Sole חרס CRS pessumdari בתת BTE.

XV. EQUA LUPUM CALCANS. 45.

Γυναικα εκτιτρωσκουσαν βουλομενοι σημηναι Ἱππον πατουσαν Λυκον ζωγραφουσι.

Mulierem abortientem significare volentes *Equam*, quae *Lupum conculcet* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. *Uterus matrix* dicitur רחם RCM ; 2. *abortus* שכל SCKL; 3. *calcare* proculcare רמס RMS; 4. *Equa* רמך RMK ; 5. *Lupus* tandem שחל SCCL. Atqui רחם RCM *uterus* est Temura homiophona רמך RMK *equae*, et שכל SCKL *abortus* est homiophonon שחל SCCL *Lupo*. Ergo equa רמך RMK *proculcans* רמס RMS *Lupum* שחל SCCL, iure indicabit *uterum* רחם RCM, *proculcatum* רמס RMS, et *abortientem* שכל SCKL.

XVI. PALUMBUS. 46.

Ανθρωπον απο χρησμου ιατρευοντα ἑαυτον βουλομενοι σημηναι Φασσαν κρατουσαν φυλλον δαφνης ζωγραφουσι.

Hominem, qui se ipse ex *oraculo* ad *sanitatem* restituerit volentes significare *Palumbum lauri folium tenentem* pingunt.

INTERPRETATIO.

Homo, qui 1. *scientiá* דרי DRI, 2. *Deorum*

Fatidicorum תרפים TRPIM, 3. *liberetur* דרר DRR, a 4. *morbo* דלה DLE: significabitur a 1. *Palumbo* דורר DVRR, qui 2. *attollat* תלה TLE, 3. *folia* טרפים, 4. *lauri* דריה DRIE. Nam duo Lemmata sunt homiophona.

XVII. COLUMBA. 48.

Ανδρα μη εχοντα χολην αυτοφυως, αλλ' αφ' έτερου δεχομενον γραφοντες περιςεραν ζωγραφουσιν, εχουσαν τα οπισθια ορθα. Εν εκεινοις γαρ την χολην εχει.

Hominem non *habentem bilem* natura sua, sed ab alio *accipientem* scribentes, *Columbam* pingunt *dorso elevato*; hic enim bilem habet.

INTERPRETATIO.

Dorsum dicitur שכם SCKM, *elevatum* altum est רום RVM, רם RM; *Fel* vero sive *bilis* flava Syris est שמקתא SCMQTA, Semitis vetustioribus dubio procul שמק SCMQ Temura homiophona שכם SCKM *dorsi*. Praeterea eadem *bilis* flava est מרר MRR, מר MR Temura רם RM *alti*. Igitur *dorsum elevatum* שכם SCKM, רם RM significabit *bilem* שמק SCMQ, et *bilem* etiam מר MR, magnam nempe copiam bilis. Caret autem Columba, ut aiunt, vesicula fellea, adeoque erit symbolum opportunum hominis, cui non sit bilis sua et propria. At *dorsum elevatum* שכם רם SCKM, RM significat *magnam copiam bilis* שמק SCMQ, מר MR. Si ergo pingimus *Columbam dorso elevato* significabimus hominem carentem quidem bile sua, quia ex hypothesi Columba bile caret, sed aliunde sibi *bilem* conquirentem, quia *dorso elevato* necessario *bilis* inest.

XVIII. AQUILA LAPIDEM GESTANS. 49.

Ανθρωπον ασφαλως οικουντα πολιν σημηναι βουλομενοι, αετον λιθον βαςαζοντα εις την ιδιαν νεοσσιαν ζωγραφουσι.

Hominem secure urbem incolentem significare volentes, *Aquilam portantem lapidem in nidum suum* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. *Homo* אנש ANSC, vel אל-נש AL–NSC, qui 2. *secure* שלה SCLE, 3. *quiescit* נוח NVC, 4. sua *in urbe* ב-קריה B–QRIE: significabitur ab 1. *Aquila* נשר NSCR, quae *lapidem* סלע SLO, in suum *nidum* קן QIN, *portet* קרב QRB. Nam sunt homiophona, vel Temurae homiophonae 1. אל-נש AL–NSC *homo*, et נשר NSCR *Aquila*: 2. שלה SCLE *tranquillitas*, pax, et סלע SLO *lapis*: 3. נוח NVC quies, *quiescere*, et קן QIN *nidus*, et 4. ב-קריה B–QRIE *in Urbe*, et קרב QRB *portare*, gestare.

XIX. VESPERTILIO. 52.

Ανθρωπον ασθενη, και προπετευομενον βουλομενοι σημηναι νυκτεριδα ζωγραφουσι.

Hominem imbecillum, et *praecipitanter agentem* volentes indicare *Vespertilionem* pingunt.

INTERPRETATIO.

Vespertilio Semitis est עטלף OTHLP. Atqui עיט OITH est *praeceps* rapidus violentus, unde Graecorum Αετος Aquila; et טלף THLP est *tenuis*, debilis, infirmus. Ergo qui unâ est *praeceps* עיט OITH, et *debilis* טלף THLP, *violentus* et *infirmus*, recte significabitur a *Vespertilione* עטלף OTHLP.

XX. CICADA. 55.

Ἀνθρωπον δε μυστικον και τελεστην βουλομενοι σημηναι τεττυγα ζωγραφουσιν. Οὗτος γαρ δια του στοματος ου λαλει, αλλα δια της ῥαχεως φθεγγομενος καλον μελος αειδει.

Hominem mysteriis addictum et *initiatum* volentes indicare *Cicadam* pingunt: haec enim non ore, sed dorso canens, pulcrum concentum edit.

INTERPRETATIO.

Cicada Semitis est חגב CGB. Atqui חג CG est festum, solemnitas religiosa, חב CB, חבה CBE occulta, secreta, adeoque mystica. *Cicada* igitur חגב CGB est argutum Lexeoschema Mysteriorum, et Teletarum. Praeterea si גבה GBE est *dorsum*, et בגן BGN est *clamare* vociferare, utique *Cicada*, quae est חגב CGB, non *clamabit* בגן BGN, ore פה PE, sed omnino *dorso* גבה GBE: et quia גבה GBE significat etiam sublimia et praestantia, *Cicada* חגב CGB, *canet* בגן BGN, *dorso* גבה GBE, sublimia גבה GBE, nempe *Mystica* et Telestica.

XXI. AQUILA SOLITARIA. 56.

Βασιλεα ιδιαζοντα, και μη ελεουντα εν τοις πταισμασι βουλομενοι σημηναι αετον ζωγραφουσιν. Ὁυτος γαρ εν τοις ερημοις τοποις εχει την νεοσσιαν, και ὑψηλοτερος παντων των πετεινων ἱπταται.

Regem solitarie degentem, et qui *peccata non condonet* volentes significare *Aquilam* pingunt. Haec enim in desertis locis nidum ponit, et sublimius ceteris volucribus volat.

INTERPRETATIO.

1. *Rex, Princeps* נזר NZR, 2. segregatus, *solitarius* etiam נזר NZR, 3. *non parcens* לא-נשא LA-NSCA, 4. *peccatis* נשא NSCA: significabitur ab 1. *Aquila* נשר NSCR, 2. *solitaria* נזר NZR, quae *super* omnem *altitudinem* על-נשא OL-NSCA, 4. *volet* נצה NTZE. Omnia enim haec verba, vel sunt, vel possunt haberi ut homiophona.

XXII. SIMIUS MEIENS. 67.

Ανθρωπον τα ιδια ελαττωματα κρυπτοντα βουλομενοι σημηναι Πιθηκον ουρουντα ζωγραφουσιν. Ουτος γαρ ουρων κρυπτει τον ιδιον ουρον.

Hominem propria *sua errata occulentem* volentes significare *Simium meientem* pingunt. Hic enim meiens propriam urinam abscondit.

INTERPRETATIO.

1. *Homo, Dux*, Princeps פחה PCE, 2. *tegens* occulens חפה CPE, 3. *errata* sua סכל SKL: significabitur a *Simio* קוף QVP, 2. *obtegente* חפה CPE, 3. *urinam* suam שחל SCCL. Quia Lemmata sunt invicem homiophona.

XXIII. LUPUS. 73.

Ανθρωπον διανθεντα υπο των ιδιων εχθρων, και μετα ζημιας μικρας απαλλαγεντα βουλομενοι σημηναι Λυκον ζωγραφουσιν απολεσαντα το ακρον της ουρας.

Hominem oppressum ab hostibus suis, et *parvo pretio sese* a discrimine *liberantem* significare volentes *Lupum* pingunt *amissa extremitate caudae.*

INTERPRETATIO.

1. *Lupus* זאב ZAB, qui 2. *redimit* זבן ZBN, 3. *vitam* ζωην ZOEN, 4. *extremitate* זנב ZNB, 5. caudae זנב ZNB : significabit 1. hominem, sive צבי TZBI *adolescentem*, sive *senem* שיב SCIB, qui 2. *redimat* זבן ZBN, 3. *vitam* ζωην ZOEN, 4. *parva quantitate* זנב ZNB, 5. *auri* זהב ZEB. Nam verba omnia sunt homiophona, vel homiophona possunt haberi.

XXIV. LUPUS et LAPIS. 74.

Ανθρωπον φοβουμενον τα επισυμβαινοντα ἑαυτῳ εκ του αφανους βουλομενοι σημηναι Λυκον και λιθον ζωγραφουσι.

Hominem timentem mala et discrimina *ex occulto* volentes significare *Lupum* et *lapidem* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. *Homo*, *senex* דבא DBA, 2. *infamiam*, malam famam דבה DBE, *inimicitias*, odia, adversitates דבב DBB, *infirmitatem* languorem dolores דאב DAB, ex *occulto* 3. חפה CPE timens: significabitur a 1. *Lupo* דאב DAB, et 2. *lapide* כיפ KIP. Nam דאב DAB *Lupus* est homophonon, vel homiophonon דאב DAB dolori, infirmitati, דבה DBE infamiae, דבב DBB adversitati, et כיפ KIP lapis est homiophonon חפה CPE vel כפה KPE occulto secreto.

XXV. LEO et FACES. 75.

Ανθρωπον ὑπο πυρος σωφρονισθεντα, και επι θυμῳ θελοντες δηλωσαι λεοντα και δαδας ζωγραφουσι.

Hominem ab *igne*, et ab *ira* factum *prudentem* volentes indicare *Leonem* et *faces* pingunt. Nil enim aeque timet Leo ac faces ardentes.

INTERPRETATIO.

1. *Homo* איש AISC, qui fit 2. *prudentior* שכל SCKL, et 3. *doctus* אלפ ALP, ab 4. *ardore ignis* חרי CRI אש ASC, et ab 5. *ira* חרי CRI iterum: significabitur a 1. *Leone* שחל SCCL, vel לביא LBIA, et 2. *lampade face* לפיד LPID, 3. *ardente* חרי CRI. Nam שכל SCKL *prudentia*, et שחל SCCL *leo* sunt homiophona; אלפ ALP *scientia*, et לביא LBIA *Leo*, et לפיד LPID *fax lampas* haberi etiam possunt, ut homiophona. Praeterea etiam vi eiusdem homiophoniae *Leo* לביא LBIA, vehementer *pavet* לבט LBTH, *flammam* להב LEB, *lampadis* et *facis* לפיד LPID.

XXVI. LEO SIMIUM VORANS. 76.

Ανθρωπον πυρεττοντα, και ὑφ' ἑαυτου θεραπευθεντα βουλομενοι δηλωσαι Λεοντα ζωγραφουσι πιθηκον τρωγοντα.

Hominem correptum febri, et qui seipsum ab ea curet volentes indicare *Leonem*, *qui voret Simium* pingunt. Nam Leo febri correptus si *Simium* voret convalescit.

INTERPRETATIO.

Homo 1. *correptus febri* חרי CRI, חר CR, qui sua 2. *prudentia* שכל SCKL, 3. convalescat שלה SCLE, 4. *febri* חרי CRI, 5. *absumtá* כלה KLE: indicabitur a 1. *Leone* שחל SCCL, qui patiatur, 2. *febrim* חרי CRI, et ut 3. *convalescat* שלה SCLE, 4. *voret* אכל AKL, 5. *Simium* חרי CRI. Nam שכל SCKL

scientia, *prudentia* est homiophona שחל SCCL *leoni*, *vorare* אכל AKL est Temura homiophona כלה KLE *absumere*, et חר CR *febris* est homiophonon חרי CRI *Simio*. Hinc כלה KLE *absumtio*, חר CR *febris* fit אכל AKL *vorando*, חרי CRI *Simium*.

XXVII. CROCODILUS ORE APERTO. 80.

Ανθρωπον τρωγοντα βουλομενοι σεμηναι Κροκοδειλον ζωγραφουσιν εχοντα το ςομα ανεωγμενον.

Hominem vescentem volentes indicare Crocodilum ore aperto pingunt.

INTERPRETATIO.

Crocodilus dicitur חמס CMS, additoque articulo Arabico אל AL, erit אל-חמס AL-CMS, sive לחמס LCMS, quod solvi potest in לחם LCM, et לחס LCS. Atqui לחם LCM est edere, vorare, et idem לחם LCM est panis, esca, cibus. Tum לקשה LQSCE homiophonon לחס LCS est fames, et ipsum לחס LCS lingere lambere. Praeterea *maxilla* est לחי LCI, et *maxillae* לחים LCIM est homiophonon לחם LCM *edere* et *cibus*. Et tandem apertus dilatatus est פתח PTC, et frustum fragmentum panis est פת PT. *Crocodilus* igitur אל-חמס AL-CMS, *maxillis* לחים LCIM, *apertis* פתיח PTIC multis modis *vescentem* et *comedentem* significabit.

XXVIII. CROCODILUS, et PENNA IBIDIS. 81.

Ἁρπαγα ανθρωπον, και ανενεργητον βουλομενοι σεμηναι Κροκοδειλον εχοντα Ιβεως πτερον επι της κεφαλης ζωγραφουσι. Τουτου γαρ εαν Ιβεως πτερῳ θιγης ακινητον αυτον ευρησεις.

Rapacem hominem, eumque *inertem* volentes

significare pingunt *Crocodilum* habentem *in capite pennam Ibidis*. Huius enim avis pennâ si illum attigeris immobilem invenies.

INTERPRETATIO.

Crocodilus est חמס CMS, *homo rapax*, *violentus* est pariter חמס CMS: *Crocodilus* igitur erit lexeoschema opportunum hominis *rapacis* et *violenti*. Tum נצב NTZB est *iners*, *piger*, immotus, et quum Ibis sit יב IB, et penna נץ NTZ, et נץ-יב NTZ-IB, sive penna Ibidis sit homiophonon נצב NTZB *inertis* et *pigri*, fit inde, ut Ibidis penna נץ-יב NTZ-IB sit symbolum legitimum *hominis pigri* et *inertis* נצב NTZB. Et propterea, ubi tu capiti Crocodili חמס CMS, infixeris נצב NTZB, *pennam Ibidis* נץ-יב, quamvis sit violentus et immanis חמס CMS, fiet tamen נצב NTZB *immotus* et *iners*.

XXIX. AQUILA ROSTRO ADUNCO. 96.

Γεροντα ὑπο λιμου αποθανοντα θελοντες δηλωσαι Αετον αποκεκαμμενον εχοντα το ῥαμφος ζωγραφουσι.

Senem, qui *fame perierit*, volentes indicare *Aquilam adunco rostro* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. *Homo* אנש ANSC, 2. *senex* ישן ISCN, 3. qui *pereat* נשת NSCT, 4. *fame* כפן KPN: indicabitur ab *Aquila* נשר NSCR, senescente ישן ISCN, 3. rostro נשומא NSCVMA vel נשם NSCM, 4. adunco כפה KPE vel כפן Ubi enim *rostrum* נשם NSCM factum fuerit *Aquilae* כפה KPE vel כפן KPN *curvum*, tum נשם NSCM anhelabit et aget animam prae fame כפן KPN.

XXX. CORNICIS PULLI. 97.

Ανθρωπον αει εν κινησει και θυμῳ διαγοντα, και μητε εν τῳ τρεφεσθαι ἡσυχαζοντα βουλομενοι σημηναι Κορωνης νεοσσους ζωγραφουσι.

Hominem in *perpetuo motu* et *animi contentione agentem*, ita ut *neč vescens quiescat*, volentes indicare *Cornicis pullos* pingunt.

INTERPRETATIO.

1. *Pullus avis* est גור GVR, quod est etiam gyrare, circumcursare, vagari, et Temura homiophona eius vocis רגע RGO est *praeceps*, celer, concitatus. Tum עבר OBR Temura ערב ORB *Cornicis* est transire, discurrere, et ברה BRE Temura vocis eiusdem homiophona est *comedere*, *vesci*. Iure igitur *Pullus* גור GVR, *Cornicis* ערב ORB significabit hominem, qui *circumcurset* גור GVR, et discurrat עבר OBR, *semper rapidus* רגע RGO, nec quiescat *vescens* ברה BRE.

SECTIO III.

HIEROGLYPHICA AEGYPTIA SELECTA EX DIODORO, PLUTARCHO, AELIANO, CLEMENTE ALEXANDRINO, etc.

I. ACCIPITER.

Accipiter secundum Plutarchum de Isid. p. 371. significabat Aegyptiis πτησεως οξυτητα *volatus celeritatem*, secundum vero Diodorum lib. III. Biblioth. c. 4. p. 76. Wess. παντα οξεως κινουμενα, *omnia quae celeriter moventur.*

INTERPRETATIO.

Accipiter dicitur נץ NTZ, נצא NTZA; ipsum *volare*, avolare, penna, pluma est נצה NTZE, נצא NTZA: et propterea quum *Accipiter* sit ipsum *volare*, ipsa penna נצה NTZE, iure indicabit πτησεως οξυτητα *volatus celeritatem.* Et quoniam *volatus* est omnium fere motuum celerrimus, et *volare* plerumque dicimus, quae utcumque moventur celerrime, idcirco aeque iure *Accipiter* indicabit παντα οξεως κινουμενα. Eoque magis, quod *Accipiter* אל-נץ AL-NTZ sit Temura homiophona נצל NTZL *rapidissime* se *eripere*, et פרס PRS aliud nomen *Accipitris* sit etiam *celerrime* et *citissime abripere.*

II. ACCIPITER SACER SOLI.

Accipitrem fuisse peculiariter sacrum *Soli*, adeoque praecipuum *Solis* symbolum extitisse

apud Aegyptios Plutarchus de Isid. p. 371. Aelianus de Nat. Anim. lib. x. c. 14. p. 558. Porphyrius de abstin. lib. IV. p. 375. aliique tradiderunt. Adduntque id factum maxime; 1. quod *Accipiter acutissime cernat*, 2. quod *sanguine* sit *plenus*, 3. quod sit avis *maxime longaeva*.

INTERPRETATIO.

1. *Sol* dicitur חרס CRS, et זרח ZRC Temura homiophona est oriri exoriri, quod proprie de *Sole* dicitur, *Accipitrem* vero ab Arabibus dictum etiam כרז KRZ constat. Atqui hae voces sunt homiophonae. Ergo *Accipiter* esse potuit symbolum *Solis* in Scripturâ Lexeographicâ et Crypticâ.

2. *Sol* in Systemate Theologico Helioarchico est *triumphator*, *invincibilis*, *invictus* נצח NTZC. Atqui נצח NTZC est homiophonon נצא NTZA *Accipiter*. Ergo *Solis* symbolum erit *Accipiter*.

3. *Solem* symbolum fuisse Aegyptiis *aevi*, *aeternitatis* testatur Horus. lib. I. c. 1. p. 1. Atqui *Accipiter* נצא NTZA est homiophonon נצח NTZC, *perpetui*, *immortalis*, *aeterni*. Ergo *Accipiter* erit iure hieroglyphicum *Solis*.

4. Praeterea si *Accipiter* est *longaevus* נצח NTZC, et *plenus sanguine* נצח NTZC, rite symbolum erit *Solis perpetui* נצח NTZC, et *victoris* נצח NTZC.

5. Tandem *Accipiter* dicitur etiam ראה RAE, quod est *intueri*, *videre*, *cernere*. Atqui *Sol* est *oculus* Coeli, omniaque inspicere et scire revera putabant Veteres, et appellabant solemni voce *oculum* עין OIN. Ergo si *Sol* omnia ראה RAE a Veteribus putabatur, rite exhiberi et significari potuit a ראה RAE *Accipitre*.

III. OS TIBIAE ACCIPITRIS.

Το δε αυτου Ἱερακος της κνημης οςεον ει χρυσιῳ παρατεθειη, ἑλκει τε αυτῳ etc.

Os autem *Tibiae Accipitris* si quis ad *aurum* admoveat, *trahit* illud ad se. etc. Aelianus Loc. cit.

INTERPRETATIO.

Accipiter est כרז KRZ, aurum חרץ CRTZ. Ergo quia voces homiophonae, *Accipiter* כרז KRZ, et *aurum* חרץ CRTZ, se mutuo adtrahent. *Crus*, *tibia* est כרע KRO, quasi res adunca uncinata, qua aliquid trahitur, et est homiophonon גרה GRE, quod est *trahere attrahere*. Tum *os* ossis עצם OTZM est valide firmiter. Adeoque habebimus haec duo Lemmata homiophona, et quasi sese mutuo adtrahentia: עצם OTZM *os*, כרע KRO *tibiae*, כרז KRZ *Accipitris*; עצם OTZM *valide*, גרה GRE *attrahet*, חרץ CRTZ *Aurum*. Et propterea Aelianus et qui illi similes extiterunt, scribere potuerunt a Tibia *Accipitris aurum trahi*.

IV. ACCIPITRIS PENNA.

Οταν δε πιουμενος ο Ἱεραξ επι των ποταμων καταιρει, το πτερον ἱςησιν ορθον, πιων δε κλινει τουτο παλιν, ᾡ δηλος εςι σεσωμενος, και διαπεφευγως τον Κροκοδειλον· αν γαρ αρπασθῃ, μενει το πτερον ὡσπερ εςη πεπηγως.

Ubi autem bibiturus *Accipiter* ad flumina accesserit *pennam figit rectam*; *inclinat* eam postquam bibit, ut indicet, se incolumem a Crocodilo *evasisse*. At si *abreptus* fuit, *penna manet recta*, ut *fixa* fuerat. Sic Plutarchus de Isid. p. 371.

INTERPRETATIO.

Accipiter נצ NTZ, figit נצב NTZB, *pennam* נצה NTZE. Si a Crocodilo *evadit incolumis* נצל NTZL, אל-נצ AL-NTZ *Accipiter*, *inclinat* נטע NTHO, *pennam* נצה NTZE, *fixam* נצב NTZB. At si Crocodilus *arripuit* נצל NTZL, *penna* נצה NTZE manet adhuc נצב NTZB, *immota* נצב NTZB, et *recta* ישר ISCR. Quae omnia vel sunt homiophona, vel ut homiophona possunt haberi. Atqui dubitari non potest, quin verba illa Plutarchi ex Lemmate Sacerdotali sint Graece conversa, et est omnino improbabile tantam homiophoniam casu et temere fieri, tenendum potius est nonnulla saltem in interpretatione istâ Lemmati originali Sacerdotum respondere. Qua quidem in re illud insuper advertendum duco ne in nudo hoc vocularum rhythmo, et aurium ludibrio sapientiam Veterum Aegyptiorum constitisse putemus; sed contra teneamus magnum aliquod et profundum Theologiae suae dogma in hac rhythmicâ fabulâ fuisse involutum. Et profecto si *Accipiter* est symbolum *Osiridis*, et *Crocodilus Typhonis*: ubi *Osiris* accedit ad *bibendum* de *Torrente*, tum *figit* in litore *pennam* נצה NTZE, nempe *victoriam* נצח NTZC, *immortalem* נצח NTZC. Et propterea, si *Typhon* ad eum non accedit, tum *Osiris* suam *pennam* נצה NTZE, *inclinat* נטע NTHO, immo נטע NTHO *plantat*, *germinare* et *fructificare* facit, adeoque auget *victoriam* suam נצח NTZC, *immortalem* נצח NTZC. At si perfidus *hostis*, si immanis *Crocodilus* חמס CMS eum *corripit* נצל NTZL, lacerat, discerpit, tum omnino *penna* illa נצה NTZE, *victoria* nempe נצח NTZC, in *sanguine* נצח NTZC, *manet* נצב NTZB, *immota* נצב NTZB, et *recta* ישר ISCR: sive potius

coelestis ille *Osiris* ישר ISCR, totus *manet* נצב NTZB, *triumphator* נצח NTZC, et *immortalis* נצח NTZC, quidquid *Typhon* in eum fuerit molitus.

V. AEGYPTUS CHEMIA.

Plutarchus de Isid. p. 364. testatur *Aegyptum* dictam fuisse *Chemiam*, quod sit μελαγγειος, θερμη, και ὑγρα, *nigra* nempe, *calida*, et *humida*; et quod *cordi* possit comparari.

INTERPRETATIO.

Niger, *fuscus* est חום CVM, *calidus aestuosus* pariter חום CVM, Temura homiophona מחח MCC est medulla, pars interior, ipsum *cor*, et כמה KME est *amare*, *desiderare*, quod *Cordis* est. Tum מיא MIA est *aqua*, *unda*: adeoque חמיא CMIA, quasi חום-מיא CVM-MIA significabit Terram 1. *nigram*, 2. *calidam*, 3. *aquosam*, et *cordi* similem, nempe *Aegyptum*, cui hae ipsae sunt proprietates characteristicae. Tandem quum amemus *corde* כמה KME, לב LB, et לב LB *cor* sit homiophonon לוב LVB *Libyae*; ipsum *cor* לב LB erit argutum hieroglyphicum Regionis חמיא CMIA, לוב LVB, sive *Aegypti*, *Libyae*.

VI. ASPIS THERMUTHIS.

Aspidem *Thermuthin* nomine necare scelestos celerrima et tristissima morte, *suffocatione*, *singultu*, *convulsione*; adeoque fuisse Aegyptiis symbolum *insuperabilis potestatis*, quin etiam *immortalitatis* testatur Aelianus de Hist. Animal. lib. VI. cap. 38. p. 344. et lib. X. cap. 31. pag. 580.

INTERPRETATIO.

Omnes huius *Aspidis* characteres sive veri sive ficti in voce *Thermuthi* continentur.

1. *Thermuthis* necabit celerrima morte: quia est מות MVT *mors*, טרר THRR, טרא THRA irruens, ruens celerrime.

2. *Thermuthis* necabit *suffocatione*, *singultu*, *convulsione*. Quia inverse est טום THVM obstructio praeclusio, טעם THOM gustus, faucium nempe suffocatio, et רטטט RTHTH est *tremore*, *convulsione agitari*, *vexari*.

3. *Thermuthis* erit *immortalis*, quia est טרא THRA *propellens expellens* מות MVT *mortem*, et homiophonon תמיד TMID, עד OD, quorum utrumque *perpetuitatem*, *immortalitatem* significat.

4. *Thermuthis* significabit *summam potestatem*, quia est Temura homiophona תום TVM *absolutae* perfectae רד RD *potestatis* imperii.

VII. BOS.

Bovem symbolum Aegyptiis extitisse *Telluris*, *agriculturae*, et *alimenti* testantur Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 567., et Macrobius Saturn. 1. c. 19. P. 250.

INTERPRETATIO.

1. *Vitulus* Semitis est פר PR, *Vacca* פרה PRE, nempe *foecunda*, *fructifera*, crescens; quod *Telluri*, *agriculturae*, et *cibis* plerisque convenit.

2. *Bos* est אלפ ALP, nempe *crevit*, *excrevit*, multiplicatus est, quod proprium *fructuum Telluris*, et unde Graecorum ἀλφιτα.

3. *Bos* est שור SCUR, homiophonon שרה SCRE est *cibus, esca, convivium, habitaculum, domus,* quae omnia *Telluri* congruunt.

4. *Bos* est בקר BQR Temura homiophona כרב KRB *arare, terram excolere,* ex quo *agricultura* et humana *alimenta* pendent.

5. *Bos* est אביר ABIR homiophonon ברה BRE *cibo, escae,* Temura homiophona רבע RBO *germinare pullulare,* e רב RB est *auctus, multiplicatus,* quae fructibus ex *Terra* orientibus convenit.

Iure igitur *Bos* fuit Aegyptiis Symbolum *Telluris, agriculturae,* et *ciborum.*

VIII. CAPELLAE.

Capras Libycas portendere *tempestates* et *procellas, contueri* attente *Sirium,* et *ortum* eius *sternutamento* significare tradit Aelianus de Nat. animal. lib. VIII. cap. 8 p. 389, et Plutarchus de Sollert. Animal. Tom. 11. op. p. 974.

INTERPRETATIO.

Hirci, Caprae sunt שעיר SCOIR, *tempestates procellae* sunt שער SCOR, *observare animadvertere* idem שער SCOR. Ergo *Caprae* שעיר SCOIR *praesentient tempestates* שער SCOR. Praeterea Stella *Sirii* est ipsum שעיר SCOIR, et *intueri cernere* est homiophonon שור SCVR. Ergo *Caprae* שעיר SCOIR, *intuebuntur* שור SCVR, *Sirium* שעיר SCOIR. Quin *ortum* eius זרח ZRC, significabunt homiophono, nempe *Sternutamento,* quod est זורר ZVRR. Similia de Oryge, qui et ipse est שעיר SCOIR, superius apud Horum vidimus Sect. I. n. 34. pag. 26.

IX. EQUUS.

Equus ex Clementis Alexandrini libro V. Strom. p. 567. Symbolum Aegyptiis fuit tum ανδρειας, *virilitatis* et *fortitudinis*, tum παρρησιας, sive *elocutionis apertae*, et *declarationis manifestae*.

INTERPRETATIO.

1. *Equum* dictum a Semitis etiam אביר ABIR, iam docti viri animadverterunt. Atqui אביר ABIR est *potens validus fortis*. Tum notius *Equi* nomen סוס SVS est homiophonon אשש ASCSC *fortis*, *validus*, *robustus*, et חשש ESCSC, quod est vi et fortitudine comminuens, effringens.

2. Dicitur praeterea *Equus* Semitis פרס PRS, vel פרש PRSC, et si vis pronuntiatione pleniore *Parresia*, quod est etiam *declarare*, *explanare*, *aperire;* sive ipsum Graecorum παρρησια tum re tum sono.

X. IBIS.

Ibis Aegyptiis, teste Clemente Alexandrino lib. V. Strom. p. 567. Symbolum fuit επινοιας *cogitationis* et *intelligentiae*, μετρου, sive *mensurae*, et αριθμου sive *numeri*. Vid. et Plutarch. Symposii Libr. IX. 5. p. 738. et Horum lib. I. cap. 36. superius Sect. I. n. 24. pag. 19.

INTERPRETATIO.

Ibin esse homiophonon בינה BINE *intellexit*, *expendit*, *diiudicavit* palam est. *Ibis* ergo erit Symbolum επινοιας.

2. Praeterea בנה BNE homiophonon בינה BINE est

aedificare extruere, et quidem ex *typo*, *forma*, *mensura*, *numero* praescripto et praesignato. *Ibin* ergo homiophonon בנה BNE esse symbolum μετρου, et αριθμου aeque patet.

3. Tertio *Ibis* dicta etiam fuit חסידה CSIDE, avis *sancta*, pura, Ciconia praestantissima. Atqui חסידה CSIDE solvi potest in homiophona חסה CSE, חסס CSS, חשב CSCB, quae sunt *numerare*, *calculare*, *supputare*, et in ידע IDO, quod est *scivit*, *novit*, *vidit*. *Ibis* ergo significabit επινοιαν, μετρον, και αριθμον, *cogitationem*, *mensuram*, et *numerum*.

4. Quarto *Ibidem* peculiari modo sacram fuisse Thotho sive Hermeti maximo, et eius symbolum et hieroglyphicum praestantissimum extitisse omnes norunt, et ipsam dictam fuisse *Thot* ex Martiano Capella, aliisque colligitur. Atqui *Thot* Deus habitus est επινοιας, μετρου, και αριθμου. Ergo et haec omnia *Ibidem* significasse tenendum est.

XI. IBIDIS COR.

Ibidem recens natam habitam fuisse ab Aegyptiis Didrachmon, ut cor infantis, scribit Plutarchus Sympos. lib. IV. Qu. 5. p. 670.

INTERPRETATIO.

Ibidem avem peculiari modo sacram fuisse Hermeti sive Thotho Aegyptio Veteres unanimes tradiderunt. *Thoth* autem hoc nomine fuisse appellatum etiam a דעת DOT *doctrina*, *scientia*, sapientia dubitari non potest. Nam Deus iste omnis *doctrinae*, omnis scientiae et sapientiae auctor, inventor praeceptor habitus fuit. Et propterea *Ibis* erit avis חרם CRM *sacra* addicta *Deo* חרם CRM *consecrato* addicto דעת DOT *scientiis* disciplinis

Sapientiae Deo nempe *Hermeti' Thotho*. Atqui *Ibis* dicta est etiam דיא DIA, vel דיתא, tum quia pennis *nigris* דיא ornata, tum quod sit omnino avis דוה DVE *medica*, *salutaris* Erit ergo *Ibis* sive דיתא DITA sacra, חרם CRM *consecrato* דעת DOT *scientiis*. Atqui tum דיתא - חרם DITA - CRM, quam חרם-דעת DOT-CRM est homiophonon *Did-rachmo*. Duplici igitur ex capite Aegyptia *Ibis* significabitur a Graeco *Didrachmo*.

Praeterea *Ibis* est בינה BINE, et בין BIN est medium, est *cor*, et *Ibis* similis *cordi*, ut superius est adnotatum Sect I. n. 24. p. 19. Atqui *Hermes* sive *Thoth* est peculiariter בינה BINE et *Cor est ei* maxime sacrum Ergo *cor* infantis sive בין BIN, ניק NIQ erit peculiariter חרם CRM *sacrum*, consecratum דעת DOT *Thotho*, sive Hermeti, et propterea erit דעת-חרם DOT-CRM, sive *Did-rachm-on* vel *Didrachmon*, ut *Ibis* recens nata.

XII. INFANS, SENEX etc.

Plutarchus de Iside p. 363 tradit in Propylo Templi Saitici Minervae insculptum fuisse *Infantem*, *Senem*, *Accipitrem*, *Piscem*, *Hippopotamum*; et *Infante nativitatem*, *Sene mortem*, *Accipitre Deum*, *Pisce odium*, *Hippopotamo impudentiam* fuisse significatam. Similia tradit Clemens Alexandrinus Strom. V. pag. 566.

INTERPRETATIO.

1. *Infans* dicitur ילד ILD, quod etiam est *generari*, *nasci*, *oriri:* dicitur טל THL homiophonon טלע THLO *oriri*, *nasci*; *Infante* igitur recte *nativitas* lexeographice indicatur.

2. *Senex* est בלה BLE, quod etiam est perditio absumtio, *interitus*.

3. *Accipitre* iure significatum *Deum* ab Aegyptiis iam superius animadversum Sect. I. n. 6. p. 5.

4. *Pisce* res *odiosas* at malas, aeque iure ab Aegyptiis fuisse significatas notabimus paullo post n. 16. Pag. 65.

5. *Hippopotamo* rite indicari *iniustum* et ingratum, adeoque *impudentem* demonstratum est supra Sect. 1. n. 38. Pag. 28. et 29.

XIII. LEO.

Leonem fuisse Aegyptiis symbolum *roboris* et *fortitudinis*, nempe *αλκης και ῥωμης* praeter ceteros testatus est Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 567.

INTERPRETATIO.

1. *Leo* Semitis dicitur לביא LBIA, et לב LB est *Cor*, *animus*, audacia, et impetus adgrediendi et irruendi.

2. *Leo* est ליש LISC, homiophonon לשא LSCA est *perdere destruere.*

3. *Leo* est אסד ASD, temura homiophona שדי SCDI est *vastare destruere* vexare, quae sine magno *robore* haberi non possunt.

4. *Leo* est אריה ARIE, et ארה ARE est evellere discerpere, ירה IRE est deiicere, proiicere, *disperdere.*

5. *Leo* est כפיר KPIR homiophonon כביר KBIR *potens*, *fortis*, strenuus.

Iure igitur *Leo* etiam ex potestate Lexeographica Aegyptiis fuit symbolum *αλκης και ῥωμης*, *roboris* et *fortitudinis*. Vid. supr. Sect. 1. n. 11. 12. 14. pag. 10. 11. 12.

XIV. MANUS DEXTERA.

Manus dextera digitis passis significabat Aegyptiis *abundantiam victus, et annonae largitatem*, teste Diodoro Siculo Lib. III. Biblioth. cap. 4. p. 176. Wess.

INTERPRETATIO.

Dextera manus Semitis dicitur ימין IMIN, unde Latinorum *manus;* At נמה NME Temura homiophona ימין IMIN, est *crescere*, *fructificare*, copiose proferre, et מנה MNE est numerare, tribuere, *praebere. Manus* ergo *dextera* vi nominis sui *abundantiam* et *largitatem annonae* perspicue significat. Praeterea *digiti* sunt צבע TZBO, quod est homiophonon שבע SCBO *abundantia*, *satietas*, saturitas, et פתיח PTIC *passus* distentus est etiam apertus, reseratus, reclusus. Adeoque *digiti* passi צבע TZBO, פתיח PTIC significant שבע SCBO, פתיח PTIC *copiam* abundantiam saturantem, satiantem, omnibus *reseratam* et *apertam.* Et propterea *Manus dextera digitis passis* duplici ex capite *copiam rerum* indigentibus *reseratam et patefactam* demonstrat.

XV. MANUS SINISTRA.

Manus sinistra digitis contractis significavit quidem Aegyptiis rerum *copiam* et *abundantiam*, sed eam *sepositam*, *custoditam*, clausam, teste eodem Diodoro Loc. cit.

INTERPRETATIO.

Manus sinistra dicitur שמאל SCMAL. Atqui שם SCM, שום SCVM est *ponere*, *seponere*, reponere, et מלא MLA est *abundantia*, *copia*. *Sinistra* igitur שמאל SCMAL, quae solvi potest in שום SCVM et מלא MLA, significabit quidem מלא MLA *copiam*, *abundantiam*, sed eam שום SCVM *repositam*, sepositam, non patefactam. *Digiti* porro *contracti* צבע TZBO אטר ATHR, vel כלא KLA indicant quidem copiam, quia צבע TZBO *digiti* est homiophonon שבע SCBO *copiae*, saturitati; sed ea erit *seposita*, *custodita*, *clausa*, quia כלא KLA est *clausus*, et אטר ATHR est etiam *clausus*, *conclusus custoditus*.

XVI. PISCES.

Pisces fuisse Aegyptiis symbolum *odii*, et rei *abominandae* et odiosae tradiderunt Plutarchus de Isid. pag. 363. Clemens Alexandrinus Strom. V. pag. 567, et alii.

INTERPRETATIO.

1. *Piscis* Semitis dicitur דג DG, homiophonon דאג DAG est *doluit*, *metuit*, *sollicitus* fuit, quae valde *odiosa*.

2. *Piscis* dicitur etiam נפש NPSC, *cadaver* nempe, *res foetida*, *impura*, *odiosa*, vel נפס NPS res omnino *abominabilis*, *abominanda*.

3. *Piscis* est חות CVT, errare peccare חטא CTHA.

4. *Piscis* est שנת SCNTH, Temura שטן SCTHN est adversarius, inimicus, Sathan.

Iure ergo Sacerdotes Aegyptii Temurosophi *Pisces* habuerunt inter res *odiosas* et *abominandas*.

XVII. SOLIS NAVIS.

Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. p. 566. Plutarchus de Isid. p. 364, Porphyrius apud Eusebium de Praep. Evang. lib. III. c. XI. p. 115., et Martianus Capella de Nupt. Philol. lib. II. p. 42. tradiderunt Aegyptios *Solem* pinxisse vel *Crocodilo* vel *Navi* impositum, utique, ut significarent eum esse *datorem Annonae*, et *effectorem Temporis*.

INTERPRETATIO.

1. *Crocodilus* dicitur פרעון PROVN, quod solvi potest in פרה-און PRE-AVN. Atqui פרה PRE est fructificare, fructus uberes ferre, און AVN copia abundantia. *Sol* ergo Crocodilo impositus omnino dabit פרה PRE fructificationem, און AVN copiam, et tempus, quod est אואן AVAN, vel און AVN.

2. *Navis* dicitur Semitis אני ANI, tempus, copia, et abundantia rerum און AVN, Temura homiophona אני ANI: certumque est ipsum *Solem* a Syris, Palaestinis, Aegyptiis appellatum fuisse און AVN vel אן AN. *Sol* igitur *Navi* impositus significabit ipsum *Solem* dantem און AVN, nempe *copiam* rerum, et *facientem* און AVN sive *Tempus*. Praeterea *Navis* dicitur etiam עבר OBR, et *frumentum* est עבר OBR, et *annona* etiam עבר OBR: unde per Temuram factum Graecorum πορεια. Et in pluribus Emblematibus *annonae* Romanae *Navis* עבר OBR egregio Lexeoschemate insculpta est, quo certe Syrus Auctor indicabat עבר OBR און AVN *advenisse copiam victus*, et און AVN עבר OBR, et *abundantiam Annonae*. Quin etiam modo hîc Neapoli in pluribus Tabernis Panificum *Navis*

affabre facta et egregie instructa apponitur et ostenditur, quae adhuc nobis loquitur עבר OBR, און AVN, און AVN עבר OBR, *advenit* nempe *Annona*, adest ingens copia frumenti, et panis. Et quum adeo succurrissent, praeter alia plura, illa Iuvenalis Satyr. III. v. 62.

Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.
Et linguam *et mores vexit*...

impense placuit servata olim a Romanis fuisse in Nummis, et servari adhuc a Campanis nostris argumenta tam perspicua originis, et veteris Linguae suae.

TENTAMEN

HERMENEUTICUM

IN SYMBOLA PYTHAGORICA SELECTA (a).

SYMBOLUM I.

Ignem gladio ne fodias.

FLAMMA dicitur להב LEB, *mucro*, acies gladii dicitur etiam להב LEB, turbare, vexare, *fodere* בלה BLE,. Temura ipsius להב LEB. Quamobrem exsurget Lemma: לא LA ne, בלה BLE vexes *fodias*, להב LEB *flammam*, להב LEB *mucrone*. Atqui בלה BLE est etiam *angere*, cruciare, absumere, לב LB *cor* est homiophonon להב LEB flammae, et לב LB affectus, passio, motus, perturbatio animi est homiophonon להב LEB *mucroni*. Exsurget igitur ex illo ipso Lemmate haec alia sententia: *Ne* angas, ne crucies, ne *perfodias cor* tuum *affectibus ardentibus*, passionibus vehementibus, et tumultibus animi pravis. Quod praeceptum Pythagorâ certe vel Pythagoricis non indignum.

(a) De his Symbolis praeter Plutarchum, Laertium, Clementem Alexandrinum, Porphyrium, Iamblicum, aliosque inter Veteres, ex recentioribus egerunt L. G. Gyraldus Oper. II. p. 638. etc. Gravius in hist. Philosoph. p. 270. Menagius ad Laertium. II. p. 358. Stanleius Hist. Philosoph. II. p. 784. et plures alii.

SYMBOLUM II.

Scopae non transiliendae.

Scopae dicuntur מטאטא MTHATHA, et מטא MTHA est venire, pervenire, accedere, et quoniam est etiam superponere, tenendum est voci Semiticae מטא MTHA fuisse etiam vim Graecae ὑπερβαίνειν. Erit ergo Lemma: לא LA *ne*, מטא MTHA accedas, *transilias*, מטאטא MTHATHA *Scopas*. Atqui מטאע MTHAO homiophonon מטא MTHA est obediens, subiectus, servus, et מטעה MTHOE aliud homiophonon est peccatum, crimen, deceptio: et טמא THMA Temura מטא MTHA est pollutus, contaminatus, impurus; ex dato Lemmate alia exsurgit sententia, nempe: *Ne subiiciaris criminibus*, et *immunditiis*, *ne verseris* cum *deceptoribus*. *impostoribus*, *pollutis*, *immundis*.

SYMBOLUM III.

Coronam ne vellas.

Corona dicitur כליל KLIL, *vellere*, carpere, dici potest חלל CLL *perforare*, *vulnerare*, effringere, vel קלל QLL *evacuare*, levem et tenuem facere. Lemma ergo erit לא LA, חלל CLL, כליל KLIL, ne carpas, *vellas*, לא LA קלל QLL ne *evacues*, attenues כליל KLIL *coronam*. Atqui חלה CLE homiophonon חלל CLL est *principium*, initium, et כלי KLI homiophonon כליל KLIL est *finis* consummatio; ubi tu חלל CLL *carpis* vellis כליל KLIL *coronam*, et facis eam קלל QLL *vacuam levem* tenuem: omnino tu חלל CLL *perdis* destruis, קלל

QLL *evacuas* amittis tum חלה CLE *initium*, tum כלי KLI *perfectionem* et consummationem operis tui, quod ingens malum. Serva igitur integram coronam כליל KLIL, perfice opus tuum, absolve, quod coepisti, finem impone coeptis tuis.

SYMBOLUM IV.

Super Modio ne sedeas.

Modius Choenix Semitis est סאה SAE, *sedere* est ישב ISCB. Lemma erit: לא LA, ישב ISCB, ב-סאה B-SAE, quae ut par est sunt homiophona. At ישב ISCB vel שבה SCBE est *manere*, *morari*, *habitare*, et סאה SAE *modius* est homiophonon שאה SCAE *confusionis*, *tumultus*, strepitus, turbae, vastationis: adeoque שבה SCBE, ב-שאה B-SCAE est *manere* morari in *tumultu*, turba, strepitu, confusione. Praecipitur igitur illo Lemmate: *Ne* quis *maneat* in civilibus *tumultibus*, et Populi motibus, ut quisque subducat se turbis et procellis socialibus, si vacare sapientiae velit. Respondet Proverbio apud nos receptissimo: *Rumores fuge*.

SYMBOLUM V.

Annulum angustum ne gestes.

Annulus gestari quidem potest: nam *annulus* טבע THBO est etiam *gratia*, *pax*, pacificatio, concordia, et טוב THVB homiophonon טבע THBO est *bonus*, utilis, commodus. Et hinc revera factum est, ut *annulorum* usus latissime apud Veteres invaluerit. At *annulus angustus* arctus צור TZVR non est profecto gestandus; quia nempe

est *angens*, *vexans*, crucians, adeoque malorum etiam et dolorum symbolum. Quin quum צור TZVR sit etiam *figura*, imago, idolum, טבע THBO, צור TZVR, sive *annulus arctus*, erit etiam *annulus figuratus*, habens aliquam effigiem et imaginem. Atqui constat fuisse solemne praeceptum Pythagoricorum: *Ullius Dei imaginem* צור TZVR *in annulo ne insculpas*. Ergo tenendum est hanc ipsam sententiam cryptice, ut aequum erat, in proposito Symbolo contineri, illudque factum et propositum, quum visum fuerit non posse adhuc dogma Iconoclasticum clare et aperte proloqui apud Graecos omnes Iconolatras, Philosophorum Sectis haud multum hactenus dilatatis.

SYMBOLUM VI.

Ab acidis et fermentatis abstine.

Acidus et *fermentatus* Semitis est חמץ CMTZ. Atqui hac eâdem voce significatur *acerbus*, *tristis*, iratus, pollutus, impurus. Praecipitur ergo Symbolo: ne verseris cum *iracundis*, *agrestibus*, *pollutis*, *immundis*.

SYMBOLUM VII.

Hirundines domi ne recipias.

Nam Hirundo dicitur

1. דורר DVRR vaga, discurrens, incertae sedis, instabilis.

2. תחמס TCMS, nempe ת-חמס T-CMS, *violenta*, *rapax*, iniusta.

3. שמם SCMM, scilicet *vastatio*, desolatio, stupor.

4. חטאפ CTHAP, *raptrix*, *direptrix*, Satan, diabolus; quia vox potest solvi in חטא CTHA peccare, scelera admittere, et אף AP ira, iracundia.

5. שנונא SCNVNA, quasi שנא SCNA *odium*, res invisa, et ינה INE *oppressit*, *afflixit*, violavit.

Ne igitur velis in domum tuam, intra Lares tuos recipere peccatores, improbos, scelestos, malos. *Expelle hirundines.*

SYMBOLUM VIII.

Ne scindas ligna in via.

Scindere, caedere, rumpere est בצע BTZO, *ligna* sunt עצה OTZE, *via* dici potest יצא ITZA, qua nempe quis exit, egreditur, pergit. Erit ergo Lemma, ex institutione fundamentali, ut ego quidem arbitror homiophonicum sive rhythmicum: לא LA בצע BTZO, עצה OTZE, ב-יצא B-ITZA. Atqui עצה OTZE est etiam *rebellare*, *rixari*, contendere, tumultuari. Vera igitur Lemmatis sententia erit: Ne *rixantes*, tumultuantes, contendentes in publicis *viis* velis *dividere*, *separare*, componere. Numquam enim nisi pessime mulcatus, et aegerrime poteris te inde eripere.

SYMBOLUM IX.

Ne mingas contra Solem.

Nam *mingere* Semitis est שתן SCTN homiophonon שטן SCTHN, qui est *adversarius*, *inimicus*, infestus, Sathan: Aliud homiophonon est שטם SCTHM *maledicere*, imprecari. Praeterea *coram* in conspectu est פני PNI, et פני PNI vel פנה PNE est

deficere, absumi, destrui. Qui igitur *mingit* שתן SCTN, *adversus* פני PNI, *Solem*, omnino *Solis adversarium* se declarat, omnino eius *defectionem* eclipsim, absumtionem *imprecatur.* Quod plane scelus, maxime Pythagorico Heliolatrae.

SYMBOLUM X.

In unguium praesegmina ne mingas, sed potius inspuas.

Unguis Semitis est טפר THPR, *purgamenta*, praesegmina sunt תפליה TPLIE, spuere, inspuere ipsum תפל TPL his homiophonon, mingere contra est שתן SCTN heterophonon. Ex Homiophoniae igitur potestate tu in *praesegmina* תפליה TPLIE, *unguium* טפר THPR, non *minges* שתן SCTN, sed omnino *spues* תפל TPL. Praeterea טפר THPR est etiam *victoria*, bonus eventus, triumphus de inimicis, adeoque ipse *unguis* טפר THPR est Lexeoschema et Symbolum *victoriae* et triumphi. Tum טפל THPL est etiam addere, super addere, adiicere. Contra שתן SCTN *mingere* est homiophonon שטן SCTHN *adversarii*, hostis, inimici. Et propterea qui *mingit* שתן SCTN in *praesegmina* תפליה TPLIE, *unguium* טפר THPR, adversatur prorsus et obsistit *bono eventui*, *victoriae*, et bonae fortunae sive suae sive aliorum, quod malum. At contra qui *spuit* תפל TPL in *praesegmina* תפליה TPLIE *unguium* טפר THPR, is profecto *auget* accrescit תפל TPL vel טפל THPL, laetam fortunam bonum eventum, *victoriam* טפר: quod est desiderandum, et praestandum.

SYMBOLUM XI.

Sacrificando ungues ne praecidas.

Nam si tu *sacrificas*, si accedis ad Deos, ut *bonum eventum*, fortunam laetam, victoriam de adversariis tuis impetrare, et obtinere possis, profecto necesse est, ut *ungues* טפר THPR symbola et lexeoschemata *victoriae* טפר THPR sint *perfecti* תום TVM, sint *integri* שלום SCLVM: ut *bonus eventus* et *victoria* sit aeque תום TVM *perfecta*, aeque שלום SCLVM *integra*. Contra vero si *unguis* tuus טפר THPR erit *caesus*, carptus טרפ THRP, etiam *bonus eventus* et *bona fortuna* טפר THPR erit *discerpta*, turbata, et dissipata טרפ THRP. Et inde ego factum non dubito, ut a Sinensibus ingenuis integri ungues serventur, et quod in iudiciis et disceptationibus *victoria* טפר THPR saepe adiudicetur longiori *ungui* טפר THPR.

SYMBOLUM XII.

Gallus albus nec caedendus, nec immolandus.

Gallus Semitis est תרנגול TRNGVL, cuius Temura homiophona est ipsum Graecorum *αλεκτρίων*, et pars postrema vocis est *Gallus* Latinorum. Illam autem vocem Semitarum תרנגל TRNGL et Graecorum Αλεκτριων profunda ratione factam puto. Nempe vocibus directis תרה TRE expectare, manere, רנה RNE canere, cantare, נגה NGE lux, fulgor, splendor lucis, גול GVL exultare, exsilire: tum vocibus inversis לג LG urgere, premere, נן GN incumbere, attendere, נהר NER lux

dies, et רהט RETH vel רוץ RVTZ currere, discurrere: quasi scilicet *Gallus* sit Avis, quae expectet, praestoletur iubar Solis, canat et clamore lucem invitet et diem urgeat, ut adveniat, et oriatur; ipsemet quasi de ea re graviter laborans clamet, canat, exsultet, plaudat, discurrat. *Caedere* igitur et immolare animal, quo divina Lux mundi cietur, et quasi tarda ad oriendum excitatur, est ipsam *lucem* odisse, et ortum eius velle retardare vel abolere, vel ipsam extinguere: crescit vero ratio si *Gallus* sit *albus*. Nam *albus* Semitis est לבן LBN, et *Luna* לבנה LBNE, adeoque *Gallus albus* erit peculiariter sacer *Lunae*. Tum *albus* est צחר TZCR, cuius Temurae homiophonae sunt זרח ZRC ortus, et חרס CRS Solis, adeoque *Gallus albus* erit etiam proprius Soli, et ortui eius sacer.

SYMBOLUM XIII.

A lecto surgens vestigia deleto.

Lectus dicitur מטה MTHE homiophonon מות MVT mortis, et temura homiophona טמא inquinationi, pollutioni. Et quoniam tum dicitur *lectus* et מטה MTHE, quum in eo cubuerimus, adeoque vestigia cubationis praeseferet, recte fecerimus, si vestigia illa, et auguria tristia מות mortis, et טמא THMA inquinationis abstulerimus. Praeterea *vestigium* dicitur יקב IQB: quod est pariter decipere, supplantare, fraudulenter agere; et עקבה OQBE, quod est fraudatio, inquinatio. *Delere* ergo *vestigia* est auferre, expellere, fraudes, deceptiones, quae in nos parantur.

SYMBOLUM XIV.

Ubi sanguis humanus effusus est lapides mitte.

Nempe ubi quis שלך SCLK emisit, exsilire fecit sanguinem דם DM, hominis אדם ADM, tu mitte שלח SCLC, vel שלך SCLK lapides סלע SLO. Atqui סלע SLO est homiophonon שלה SCLE, paci, requiei, saluti, et שלח SCLC da, dona, mitte est homiophonon צלח TZLC felicitati, prosperitati, quieti; Surget ex illo Lemmate vera haec et laudabilis sententia: Ubi sanguis דם DM, hominis אדם ADM, fuit effusus שלח SCLC, Tu שלח SCLC mitte, da, צלח TZLC tranquillitatis et felicitatis auguria, שלח SCLC, שלה SCLE requiem Manibus, et salutem mitte et adprecare.

SYMBOLUM XV.

Nudipes Deos adora.

Et quidem non solum Ideographice, ut pedum nuditate humilitatem et abiectionem nostram significemus, sed etiam Lexeographice. Nam pes dicitur רגל RGL, et רגל RGL est etiam homo, et quidem contentiosus, detractor, malus. Adeoque nudare, expoliare pedem est nudare, auferre malitiam et malignitatem hominis רגל RGL, est veterem hominem deponere, et omnes pravos affectus abiicere, ut purus homo רגל RGL, pede nudo indicatus, statuatur coram Diis.

SYMBOLUM XVI.

Dexter pes et rectus est promovendus.

Scilicet est in gradiendo promovendus pes רגל RGL, dexter ימין IMIN, rectus ישר ISCR, non sinister שמאל SCMAL, et prave עקל OQL. Atqui רגל RGL est etiam *homo*, ימין IMIN dexter est homiophonon אמן AMN veridici, veritatis amantis, integri, et ישר ISCR est iustus, aequus, rectus: contra vero sinister שמאל SCMAL est pravus, malus, et עקל OQL est perversus, deceptor, fallax. Ergo ad munera promovendi sunt non homines sinistri et pravi, sed veridici, aequi, recti.

SYMBOLUM XVII.

Sal apponendus in mensa.

Sal dicitur מלח MLC, mensa שלחן SCLCN. Atqui מלח MLC *Sal* est homiophonon מלך MLK Regis, et שלחן SCLCN aequivalet שלה SCLE pacifice, tranquille, securiter, et נוח NVC habitanti, quiescenti. Si ergo in Tribu, in Civitate vestra vultis נוח NVC habitare, quiescere, שלה SCLE pacifice, tranquille, secure, constituite vobis מלך MLK Regem, Praesulem, Ducem.

DE OBELISCO
HERMAPIONIS,

DEQUE PRAECIPUIS

POLYSCHEMATIBUS HIEROGLYPHICIS

OBELISCI FLAMINII

DISQUISITIO.

CAPUT I.

Obeliscus ab Hermapione interpretatus adhuc extat Romae.

ART. I.

Duo Obelisci erecti fuerunt Romae in Circo maximo, unus ab Octaviano Augusto, alter a Constantio Imperatore.

OCTAVIANUM Augustum erexisse Romae in *Circo maximo Obeliscum* ab Heliopoli Aegyptiâ advectum testatur Plinius Libr. XXXVI. Hist. natur. Cap. 9. pag. 481. Ammianus Marcellinus Histor. Libr. XVII. Cap. 3. p. 110. et indicat Strabo Geogr. Libr. XVII. pag. 805. Constantium porro Constantini Magni filium alium et maiorem in eodem *Circo maximo* erexisse anno Christi 356. testis est coaevus et oculatus Ammianus Marcellinus Loco citato, datâ operâ de eius erectione agens. Utrum-

6

que autem *Obeliscum* in *Circo maximo* stantem retulerunt, qui per proxima tempora *Descriptiones Regionum Urbis* sive condiderunt, sive auxerunt. Vid. *Thesaur. Graev. Tom.* III. p. 3. etc. et *Thes. Inscript. Murator.* Tom. IV. pag. 2122. etc. Tum initio sexti saeculi Christiani de utroque *Obelisco Circensi* adhuc stante loquutus est Aurelius Cassiodorus *Variar. Libr.* III. *Epist.* 51. *pag.* 109.

A r t. II.

Obeliscus ab Hermapione interpretatus fuit Obeliscus Circi maximi.

Nam Ammianus Marcellinus haec perspicue adnotavit Libro citato Cap. 4. pag. 111. *Qui autem Notarum Textus Obelisco incisus est veteri, quem videmus in Circo, Hermapionis Librum sequuti interpretatum literis subiicimus Graecis.* Praeterea Tertullianus de *Spectaculis*, et singillatim *Circensibus* agens, et ipsum *Circum maximum* dubio procul spectans, haec Cap. 8. p. 74. scripsit: *Obelisci enormitas, ut Hermateles affirmat, Soli prostituta, Scriptura eius, uti et sensus de Aegypto superstitio est:* Scilicet aetate Tertulliani legebatur Libellus, quo *Obelisci Circensis sensus*, sententia, interpretatio ab *Homine Aegyptio* parata fuerat, qua interpretatione tota *enormis magnitudo Obelisci* laudibus *Solis* implebatur, et *prostituebatur.* Atqui *Hermapion* Ammiani est omnino *Homo Aegyptius*, et eius Interpretatio *de Aegypto Superstitio est;* et in eâ tota *enormitas Obelisci Soli* et *Apollini prostituitur;* quum singulis prope lineis occurrant: Απολλων κρατερος: ὁν Ἥλιος φιλει: ὑπο Ἡλιου φιλουμενος: ὁν Ἥλιος προεκρινε: Ἡλιου παις etc. Ergo

Hermateles Tertulliani habendus est *Hermapion* Ammiani, quidquid sit levis in nomine differentia, sive memoriae, sive Amanuensis vitio inducta: quia est omnino improbabile duos *Aegyptios* duas diversas interpretationes eiusdem *Obelisci Circensis* dedisse, et quarum unus et alter tantum meminissent. Quamobrem auctoritate etiam Tertulliani iure tenere possumus Interpretationem *Hermapionis* ad *Obeliscum Circensem* spectare. Haud porro hîc negaverim loco vocis *Sensus*, quam cum sollertissimo *Michaele Mercato Degli Obelischi* pag. 204., aliisque doctis Viris dedimus, legi vulgo *census:* At si haec vox communi et magis recepta vi sumitur est plane loco incongrua et absurda, adeoque reiicienda; et tum nulla potior est vox, quae recipiatur et probetur, quam *sensus*: Quod si placeat vocem *census* sumere latiore potestate, ita ut significet quamdam *descriptionem*, *expositionem*, quasi *numerationem* et *aestimationem* rerum quae continentur, adeoque haberi possit inter singularia Tertulliani, tum erit *homiodynamica* voci *sensus*; quae adeo quum sit illi etiam *homiophona* absque magno malo potest substitui, et etineri.

A r t. III.

Uterque Obeliscus Circi maximi adhuc Romae extat.

Nam *Obeliscus Circensis* positus ab Octaviano Augusto est ipse *Flaminius ; Obeliscus* vero erectus deinceps a Constantio Imperatore est ipse *Lateranensis.* Idque constat 1. primo ex Inscriptionibus, quas olim ipsis *Obeliscis* insculpi iusserunt illi Imperatores, et quas inde desumtas

retulerunt Mercatus *degli Obelisc.* pag. 236. 291. Bandini *de Obelisc. Caesar.* p. 44. aliique plures. 2. Secundo ex Testibus oculatis, qui utrumque *Obeliscum Flaminium* et *Lateranensem*, ex arena *Circi maximi*, ex ipso *Circo maximo* excavari, erui, et educi conspexerunt, quorum unus praeter ceteros fuit *Michael Mercatus.* Vid. Op. cit. pag. 285. 395. 3. Tertio ex aliis Inscriptionibus, quas praestantissimus eorum Instaurator Sixtus V. Pont. Max. ipsis *Obeliscis* insculpi iussit, et quae tum modo in ipsis *Obeliscis* spectari et legi possunt; tum apud Mercatum pag. 386. 391. Kircherum Oedip. III.pag.167.216. Zoegam de Obeliscis pag. 628. 630. et alios plures videri possunt. Ectypa autem utriusque huius Obelisci imperfecte expressit Montfaucon Ant. Expl. Tom. II. Part. 2. P. 352. ann. 1719. aliquanto satius Herwartus in Thesaur. Hieroglyph. ann. 1607. 1608. meliora dedit Kircherus in Oedip. Tom. III. Pag. 160. 212. ann. 1654.

A r t. IV.

Ergo Obeliscus ab Hermapione interpretatus adhuc Romae extat, et spectatur.

Hermapion interpretatus est *Obeliscum Circi maximi;* uterque *Obeliscus Circi maximi* cernitur modo et spectatur Romae. Ergo *Obeliscus* olim ab *Hermapione* interpretatus, et cuius versionem apud Ammianum modo legimus et meditamur, modo Romae cernitur et spectatur. Et propterea stat stabitque diutissime huiusmodi *Obeliscus* in decretum peremtorium (en definitif) Champollioni Iunioris, qui in suo *Précis* P.135.an.1824. et pag. 186. an. 1828. hunc ipsum *Hermapionis Obeliscum* Barbaris vorandum quasi mustaceum

tradiderat. Atqui praeterea Historiâ Urbis Romae aevi medii attente consideratâ cum Mercato p. 313. etc. cum Bandino p.83. etc. cum Zoega p.621.622. comminutionem et abolitionem totalem magni alicuius *Obelisci* numquam fieri potuisse certo tenere possumus. Et si apud P. Victorem in *Thes. Graev.* III. pag. 111. numerantur XLII. *Obelisci* parvi; quorum vix septem vel octo superstites esse videantur, nempe *Minervius*, *Mahuteus*, *Mediceus*, *Monticoelius*, et aliorum trium vel quatuor Fragmenta, de quibus Kircherus in Tom. III. Oedip. pag. 380.383. et Zoega de Obel. pag. 78.81. egerunt. qui idem inde factum de maioribus *Obeliscis* vellet arguere, vehementer erraret. *Obelisci* enim minores, et qui decem, quindecim, viginti tantum pedibus constant possunt facile frangi, arenis et terra penitus et alte obrui, in muros recipi, in fundamentis proiici, in alias terras plaustris avehi, quae de maioribus et ingentibus fieri non possunt. Quis porro immanem illum numerum XLII. genuinum et authenticum probaverit? Si nemo alius meminit, et si Numeri ita corrupti, ita discrepantes, ita varii apud P. Victorem et ceteros omnes scribantur, ut nulla fides esse possit *unicae Lectioni*. Equidem teneo vix XII. legi posse apud P. Victorem. 1. Primo quia si ille immanis numerus fuisset genuinus, etiam alii Scriptores meminissent. 2. Secundo quia in Aegypto paucissimi *Obelisci parvi* inventi sunt. 3. Tertio quia in ipsa Roma ad octo Circos exornandos magnis *Obeliscis* reservatis, parvi ad aliqua tantum *Isea* adponi potuerunt, et hinc destinationi numerus XII. videtur plane sufficere: A quo numero si quatuor vel quinque desiderantur plane levis est, et nullius momenti iactura. Ceterum quidquid sit de minutis istis et

parvis *Obeliscis* Romanis, maioribus vero, praestantioribus, et insignioribus ita aevum ipsum, ita Barbari, ita ceterae calamitates pepercerunt, ut ampliorem etiam numerum receperimus, quam Veteres Scriptores nobis tradiderint. Scilicet sunt modo Romae et spectantur novem Obelisci magni et praestantes. 1. *Vaticanus.* 2. *Exquilinus.* 3. *Quirinalis* puri: 4. *Lateranensis.* 5. *Flaminius.* 6. *Sallustius.* 7. *Campensis.* 8. *Pamphilius.* 9. *Barberinus.* Et veteres Scriptores Strabo, Plinius, Ammianus. P. Victor, aliique usque ad VI. saeculum Christianum non meminerunt nisi septem ex his; scilicet 1. *Vaticani.* 2. *Exquilini.* 3. *Quirinalis.* 4. *Flaminii.* 5. *Campensis.* 6. *Sallustii.* 7. *Lateranensis*: Nil vero quantum scimus de *Obelisco Pamphilio* et *Barberino* scriptum reliquerunt, quod ad nos pervenerit.

A r t. V.

Cur Champollionus iunior Obeliscum Hermapionis aboleverit.

At quibusnam tandem machinis, petes, quibus momentis, quibus instrumentis *Obeliscum* nonaginta circiter pedum in pulverem abolevit, et perdidit Champollionus? Praestabit ipsummet audire. Haec in suo *Précis* Pag. 134. *Les notions certaines, que nous avons déja acquises par l' etude de l' Inscription Hieroglyphique de Rosette, et a l' aide des quelles il serait possible de recomposer en ecriture hieroglyphique une grande partie du Texte d' Hermapion suffisent en effet.... pour decider en definitif, que l' Obelisque dont Hermapion a traduit les legendes n' est ni l' Obelisque Flaminien, ni celui de*

***Saint-Jean de Latran*, *ni aucun de ceux*, *qui ont échappé a' la main des Barbares dans l' enceinte de Rome*.** Quae paraphrasi Latina sic reddi possent. Ego Champollionus ita perfecte ita penitus calleo Scripturam Aegyptiorum Hieroglyphicam, singillatim illam Tabulae Rosettanae, ut ex Textu Hermapionis Graeco nec spuens nec tussiens possim Scripturam Hieroglyphicam facile componere, et *Obeliscum* condere: Atqui is meus Obeliscus, quem conderem, penitus et omnino diversus esset ab omnibus Obeliscis, qui Romae, et alia quacumque Orbis parte spectantur. Ergo Obeliscus Hermapionis Romae non extat, penitus periit, et evanuit, Barbari eum, ut mustaceum, devorarunt. Quid ad haec? Dî bonam mentem!

CAPUT II.

Interpretatio Obelisci Circensis ab Hermapione edita habenda est authentica et genuina.

ART. I.

***Primo*, *quia ut de authentica et probata Interpretatione loquuti de eá sunt Ammianus*, *et Tertullianus*.**

Ammianus enim non potuit adsumere *Interpretationem Hermapionis*, et Historiae suae inserere, nisi quod et ipse probaret, et plures secum probarent, et nisi putaret se egregium operae pretium facere, si Lectoribus etiam Historiae suae communicaret. Atqui si una adesset auctoritas Ammiani, quem in Fundam. Hermeneut. Lib. II. Sect. II. Cap. 6. pag. 168. elementa Scientiae Hierogly-

phicae novisse ostendimus, nobis satis esse posset, ut cum eo *Interpretationem Hermapionis* probaremus. Neque porro Tertullianus, ut Christianos a Spectaculorum amore avocaret, potuit confugere ad Hermatclem, sive *Hermapionem*, nisi quia eius Libellus erat tum late receptus et probatus.

A r t. II.

Secundo, quia ipsa Interpretatio ex Veterum testimoniis probabilis est.

1. Namque ea *Interpretatione* insunt laudes Deorum magnorum, et singillatim *Solis*; laudes *Regis* qui *Obeliscum* erexit, et eius praecipua facta socialia; intimusque nexus constituitur inter Regem et Deos magnos. Atqui haec ipsa esse invenienda in *Obeliscis* testimoniis Diodori, Strabonis, Plinii, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Ammiani, et aliorum plane constat.

2. Praeterea in *Interpretatione Hermapionis* multa verba, plures dictiones occurrunt vel eaedem, vel valde similes verbis et dictionibus Textus Graeci Tabulae Rosettanae, quemadmodum praeter ceteros pluribus animadvertit Villoisonus Epist. II. ad Akerblad in Millini Magasin an. 1803. Tom. L. pag. 183. etc. Atqui de genuinitate Textus Graeci Tabulae Rosettanae nemo sanus dubitaverit: Ergo et *Textus Hermapionis* habebitur genuinus et sincerus.

A r t. III.

Refellitur obiectio Villoisoni.

Immo contra colligebat Villoisonus loco citato Textum Hermapionis habendum esse spurium et fictum,

quia, si *Ramestes Hermapionis* pluribus saeculis vetustior fuit *Ptolemaeo* V. Epiphane Tabulae Rosettanae; qui Titulos, et Epitheta *Ptolemaei* V. Pharaoni *Ramesti* tribuet, ita erit ineptus, ut qui nominibus et Epithetis *Ludovici* XIV. veterem *Faramundum* compellaret. At pace docti Viri comparatio est revera inepta et inopportuna. Nam tanta in Galliis facta est Gentium, Linguarum, morum, et omnium institutionum humanarum immutatio et conversio a Faramundo ad Ludovicum XIV. ut ne possit quidem comparatio aliqua institui. At contra certum est in Regiminibus Casticis, et utcumque Sacerdotalibus, omnia humana instituta, acerrima Sacerdotum cura, immota servari; religionem, liturgiam, scripturam, ritus, manere et durare in eodem statu per plura saecula: Et propterea si certum est, ut omnes sciunt, nosque in *Fund. Hermen. Lib.* III. *Sect.* I. p.320. etiam animadvertimus, Regimen Aegyptiorum fuisse Casticum et Sacerdotale: Si certum est ex prolixis narrationibus Herodoti et Diodori mores et usus veteres incredibili pertinacia ab Aegyptiis fuisse servatos, dubitari aeque non potest, quin ipse stilus, ipsa Epitheta sacra, ipsae dictiones diutissime et eaedem servatae fuerint, et quin revera Dictiones *Obeliscorum* ex parte similes dictionibus Tabulae Rosettanae sint necessario inveniendae. Quamobrem si meminisset Villoison eorum quae Plato solide et vere de conditione stationaria omnium disciplinarum et artium Aegyptiarum Dialog. II. de Legibus animadverterat, si illa etiam millia annorum animo reputasset; si ipsa Monumenta Aegyptia oculis lustrasset, et considerasset plurima esse, quae uno eodemque saeculo, una eademque manu facta diceres; si cogitasset Schemata Hie–

roglyphica, quibus Tabula Rosettana constat, esse eadem ipsa, quae in vetustissimis quibusque Monumentis conspiciuntur, ex similitudine stili Textus Graeci *Rosettani*, et Textus *Hermapionis* authenticitatem potius utriusque, ut nos fecimus, et ipse omnino volens lubensque collegisset.

A r t. IV.

Absurditas stili in Textu Hermapionis non est Grammatica, nec Rhetorica; sed Theologica, mystica, et arcana.

Quum Textum Hermapionis secundum Regulas Critices communis conamur explicare, negare non possumus, quin absonus, confusus, et absurdus videatur. Modo omnia tribuuntur *Apollini*, modo omnia *Ramesti*: Modo *Ramestes* discernitur a *Sole* et *Apolline*, modo discerni non potest: Stichi videntur absolute incipere a vocibus fundamentalibus Απολλων κρατερος, et adeo omnia ad *Solem* primario referri, et interea videtur *Ramestes* princeps Orationis. Απολλων κρατερος peragit omnia, et hunc ipsum Ἡλιος φιλει: Et ita porro. At si meminerimus in Regiminibus Casticis et Sacerdotalibus Reges esse *Epiphanias* magnorum *Deorum*, et adeo necessario dandam *confusionem* et conversionem *Idiomatum*, ut Theologi loquuntur; si animo reputabimus, quod Aegyptii, ut scribit maximus Vir Clemens Alexandrinus Stromat. V. pag. 556. των βασιλεων επαινους θεολογουμενοις μυθοις παραδιδοντες αναγραφουσι: nempe *quod laudes Regum suorum Theologicis dictionibus involventes scribant*: aperte perspiciemus *stilum Hermapionis* esse plane congruum et convenientem subiecto suo, et adeo authenticum et genuinum.

Ubi Rex *Ramestes* agit personam *Apollinis*, vel *Solis*, ubi Theologia huiusmodi est, qua *Dii* plures differunt tantum *nomine*, vel potius qua unus sive paucissimi *Dii* pluribus *nominibus* gaudent, et *Pater*, *Filius*, et sivis *Avus*, et nepos sunt una et eadem Persona: utique plures absurditates *Grammaticae* et *Rhetoricae* erunt obviae, quae contra sunt verae congruentiae et propriae dictiones Theologicae, et Sacrae. Haud igitur recte Montfauconus in *Ant. Expl. Tom.* II. *Part.* 2. *pag.* 350. Textum *Hermapionis* fictum et apocryphum habuit, quod eius Oeconomiam non caperet, et ad stilum Theologicum et mysticum non cogitasset: Quem stilum illud etiam probat, quod impostores et falsarii absurditates Grammaticas evidentes plerumque vitant. Quamobrem nos inde potius invictum argumentum authenticitatis colligemus.

A R T. V.

Veracitas Hermapionis tertio loco probatur ex collatione et comparatione mutua elementorum Obelisci Circensis, puta Flaminii, et Textus Interpretationis servatae.

Qui scilicet *Obelisci Circensis*, puta *Flaminii* latus, et latus *Obelisci*, quem *Hermapion* est interpretatus, mutuo confert et comparat, data quacumque ignoratione *Scripturae Hieroglyphicae*, quamdam omnino similitudinem, quamdam evidentem relationem in numero, ordine, cursu, et recursu eorumdem sive *Typorum*, sive *Verborum* necessario deprehendet: Quod satis esse debet ignaro, ne reiiciat, quod nescit. Nos autem hic etsi nec velimus, nec possimus integrum *Te-*

xtum Hermapionis excutere, et singula *Verba* singulis *Syngrammatibus Obelisci Circensis* comparare; attamen seligemus et expendemus, quae sint satis ad rationalem, ut speramus, persuasionem inducendam hominibus bonae voluntatis.

ART. VI.

Authenticitati Interpretationis obesse non poterit, si singula plane verba singulae dictiones singulis Symbolis vel Syngrammatibus ipso ordine, ipso situ, ipso numero non respondeant.

1. Secus enim dicendae essent spuriae et fictae omnes fere Versiones, quae super faciem Telluris sunt; in quibus plerumque nec verbum verbo, nec dictio dictioni ipso ordine et situ respondet. Sed plura invertuntur et permutantur, et contrahuntur, et explicantur, secundum naturam Subiecti, ingenium Linguarum, et sollertiam Interpretis. Praeterea quum agatur de Scriptura Cryptica et arcana nonnulla etiam Interpreti potuerunt esse permissa, quae in Scriptura communi non darentur. Tertio quum *Megaloschemata* quibus Dii, et Reges potissimum significantur non in uno Pyramidio et vertice, sed etiam in Basi et fine *Obelisci* collocentur, et pro opportunitate sint inde petenda, ordinem rectum *Microschematum* necesse est his aliquando turbari. Quarto meminisse debemus Textum Hermapionis haud emendatissimum et absolutum ad nos pervenisse. Quinto Hermapion interpretatus est *Obeliscum* stantem, et adeo nec perfecte cernere et intueri, nec perfecte meminisse potuit ordinis et situs singulorum Schematum. Quamobrem etiamsi demonstretur singula verba et dictiones *Textus Hermapionis* sin-

gulis *Symbolis*, vel *Syngrammatibus Hieroglyphicis Obelisci Circensis* non respondere eodem numero, ordine, situ, haud inde possit aliquid iure colligi in authenticitatem et veracitatem fundamentalem Interpretationis ab *Hermapione* paratae.

CAPUT III.

Obeliscum ab Hermapione Graece explicatum esse ipsum Flaminium, non Lateranensem auctoritate primum Scriptorum veterum demonstratur.

ART. I.

Ammianus Marcellinus interpretationem Hermapionis non Obelisco Constantio sive Lateranensi, sed Augusteo Circensi sive Flaminio attribuit.

Nam Loco citato perspicue omnino profitetur se proferre interpretationem *Obelisci veteris*, quem erexerat olim *vetus Princeps*, scilicet *Augustus* 380. circiter annis antequam *Obeliscus recens advectus* poneretur a *Constantio*. Aiunt nonnulli *Obeliscum Lateranensem* tribuendum esse *Ramisi* illi, quem Plinius Libr. XXXVI. Cap. 9. Troiani excidii tempore vixisse scribit: *Obeliscum Flaminium* Regi *Semnesertaeo*, quem idem Plinius loco citato coaevum Pythagorae facit; Adeoque *Obeliscum veterem* Ammiani esse *Lateranensem*, non *Flaminium*. At haec nihili sunt. Nam, quae obsecro, aetas excidii Troiani? Qui *Ramises* excidii Troiani coaevus? Qui *Semnesertaeus* Pythagorae? Quae aetas huius Philosophi? Utinam

is fuisset Plinius, per quem possimus tam arduas, et vexatas Quaestiones solvere et decernere. Qui fragmenta obscura, adversa, pugnantia, quae de *historia Obeliscorum* ad nos pervenerunt, lustraverit, ut lustravit diligentissimus Zoega de Obel. pag. 593. 594. is omnino viderit an ex paucis Plinii verbis possint ea certo constitui. Ipse Plinius Libr. II. cap. 8. *Pythagoram* istum Olymp. XLII. Urbis 142. ante aeram Christianam 608. circiter identitatem Phosphori et Hesperi deprehendisse scribit, et fortasse post sua itinera. Atqui tum regnabat in Aegypto *Pharao Nechao*, hoc ipso nomine appellatus ab Hebraeis, a Manethone, a Graecis omnibus, quod est exemplum unicum inter omnes Pharaones, et qui adeo haud videtur *Semnesertaeus* Plinii. Tum *Pythagoram* sub hoc Rege Aegyptum adiisse nulla aequa ratione suaderi potest. Si porro circa adventum Cambysis, adventus *Pythagorae* in Aegyptum cum pluribus ponitur, tum habebimus Plinium sibi ipsi adversantem, et Rex eius aetatis nec *Semnesertaeus* ab aliis dicitur, et is fuit, qui non dicam *Obeliscum*, sed ne baculum quidem rectum figere et statuere potuit, quod iamdiu et recte Kircherus Oedip. III. pag. 214. animadverterat. Nil igitur sive ex Plinio, sive ex alio Scriptore vetere urgeri potest, quo maior vetustas *Obelisci Lateranensis* prae *Flaminio* certo arguatur. Quin neminem fore puto his studiis exercitatum, qui stilum Obelisci *Flaminii* veterem, et plane purum non iudicet; et haudquaquam aetate *Lateranensis* inferiorem. Immo quum *Obeliscus Sallustius*, *Mahuteus*, *Mediceus*, *Monticoelius* evidenter sint ex Obelisco *Flaminio* deducti; quumque Ellipses huius *Obelisci* tum in *Obeliscis* praestantissimis *Luq-*

soris et *Alexandriae*; tum in pluribus aliis Monumentis prorsus vetustis et frequentissime conspiciantur, et contra *Obeliscus Lateranensis* ob suam molem immanem vetustissimus esse non possit; qui *Obeliscum Flaminium* quasi Typum et exemplar plurimorum omnino vetustum faciet, et *Lateranensi* vetustiorem, omni iure facere dicendus est. Nec profecto absurdum est cogitare *Flaminium* hunc *Obeliscum* esse unum ex illis quatuor, quos pater *Ramisis Sochis* vel *Sothis* posuisse dicitur a Plinio libro citato: Etsi *Flaminio* Cubiti LIII. tribuantur, et Obeliscis *Sochis* Plinius tantum XLVIII. attribuat. Nam et plures *Cubiti* extiterunt apud Veteres, et incredibili plane modo Scriptores de mensuris *Obeliscorum* variasse, qui opera de *Obeliscis* scripta a *Mercato, Bandinio*, *Zoega*, aliisque percurrerit, satis superque novit. Quamobrem etiamsi Ammianus aetatem excisionis, et erectionem primam *Obeliscorum Circensium* spectasset, potuisset *Flaminium* potius, quam *Lateranensem* appellare *Veterem*. At, ut dicebamus, Ammianus erectionem omnino recentiorem non primam spectavit; et qui ad tempus excisionis cogitarunt, haud multum in Latinis sapere se demonstrarunt. Nam si Ammianus tempora excisionis spectasset, tum non *Veterem Obeliscum*, sed *vetustiorem*, *antiquiorem* scribere debuisset. Contra vero *Obeliscus Augusteus*, qui iam manebat in *Circo* per annos plusquam 380. erat absolute et simpliciter *vetus* et *antiquus* in *Circo*. Quumque insuper Ammianus illa verba addidisset: *quem videmus in Circo*: evidenter et unice *Augusteum* sive *Flaminium* designavit: Nam quum de *Obelisco Constantio* sive *Lateranensi* data opera ageret, et de eo iam scripserit

Cap. 3. pag. 108. *Obeliscus Romae in Circo erectus est maximo* : inepte scripsisset iterum *quem videmus in Circo* , si illum spectasset. At contra *Obeliscus Circensis vetus Augusteus* loco motus fuerat , et poterat omnino *Circo* excludi et eiici: Hinc omnino necesse fuit addere: *quem videmus in Circo.* Certa ergo auctoritate Ammiani *Obeliscus Flaminius* est *Obeliscus Hermapionis.*

A r t. II.

Septimius Tertullianus de nullo alio Obelisco loqui potuit , quam de Flaminio.

Nam aetate sua unicus erat adhuc in Circo maximo *Obeliscus* , *Augusteus* nempe sive *Flaminius*, unusque adhuc fuit usque ad annum Christi 356. quo Constantius alium intulit ; unumque adhuc P. Victor , qui per haec tempora descriptionem Urbis edidit, adnotavit. Vid. *Thes. Graev.* T. III. p. 3.

A r t. III.

Literati Viri plures et praestantiores interpretionem Hermapionis Obelisco Flaminio , non Lateranensi summo consensu tribuerunt.

Ita quidem Petrus Angelus Bargaeus de *Aedif. Urb. Romae* in *Thes. Graev.* Tom. IV. pag. 1870., et Michael Mercatus *Degli Obel.* Pag. 208. Ita Athanasius Kircherus de *Obel. Pamphil.* pag. 149. et in *Oedip.* III. pag. 251. ita Franciscus Bianchini in *Istor. universale.* Pag. 410. 411. ita Bernardus Montfaucon in *Antiq. expliq.* T. II. *Part.* 2. pag. 350. Ita Leonardus Malespeines ad

Warburthoni Essai etc. *Pag.* 637. Ita Angelus Bandinius de *Obel. Caesaris* pag. 31. Ita Ernestus Iablonski in *Pantheo Aegyptio* lib. I. cap. 2. pag. 47. Ita Georgius Zoega de *Obeliscis pag.* 593. 594. et ita alii quoque. Et propterea plane fallitur Gibertus in *Act. Acad. Inscript.* Tom. XXXV. *pag* 667. dum affirmat Athanasium Kircherum extitisse primum, qui id tenere maluisset, et Ioannem Marshamum surrexisse, ut Kircherum refelleret. Nam Bargaeus et Mercatus, antequam Kircherus nasceretur, opinionem illam tenuerunt, et pluribus et solerter propugnarunt: Nec Marshamus in *Chronico* agens de *Obelisco Hermapionis* quemquam refutavit: Imo quamvis memoriae lapsus videatur revera quandoque *Obeliscos* confudisse; Attamen paullo post *Hermapioni Obeliscum Flaminium* aperte tribuit: Nam Pag. 457. haec scripsit: *In lateribus singulis* (Obelisci Hermapionis) *κατα ςιχους cernuntur Accipitres tres, tutulis conspicui,....... tres itidem boves, totidemque brachia extensa:* Atqui haec in *Obelisco* quidem *Flaminio*, non in *Lateranensi* conspiciuntur. Et si Aug. Georgius in Alphabet. Tibet. pag. 79. illum ipsum errorem Marshami, sed graviore culpa admisit, ipse etiam meminit et *trium Accipitrum*, et *trium Boum*, et *trium Brachiorum*, quae in *Obelisci* quidem *Flaminii* singulis lateribus, non *Lateranensis* spectantur.

CAPUT IV.

Quoniam Obeliscus Lateranensis sive Constantius fuit Thebanus, Flaminius contra sive Augusteus Circensis fuit Heliopolitanus; et constat Obeliscum Hermapionis fuisse pariter Heliopolitanum; aeque constare debet Obeliscum Hermapionis esse ipsum Flaminium.

ART. I.

Obeliscum Lateranensem esse Thebanum ex Inscriptione ipsi Obelisco iussu Constantii insculpta; ex testimonio Ammiani; et ex Stemmate Thebarum Hieroglyphico, quod in eo cernitur, certo tenendum est.

1. In *Obelisci Lateranensis* Inscriptione, quam Constantius insculpsit, et quam retulerunt Mercatus pag. 269., Marshamus pag. 456., aliique plures, legitur: *caesa Thebis de rupe revellit:* legitur nempe quod Constantinus Constantii Pater revellerat *Obeliscum* hunc ex *Rupe*, sive ingenti eius Basi posita Thebis: quod similibus plane verbis expresserat Ammianus Loc.cit. scribens: ***avulsam hanc molem sedibus suis Constantinus*** etc. Gibertus *Thebas* pro *Thebaide* sumere maluit, et agi putavit non de *revulsione Obelisci* erecti, sed de excisione prima *Obelisci.* Loc. cit. pag.667. Absurde, ut cetera. Nam in Inscriptione est ***Pater***, nempe Constantinus, qui ***revellit***, et ***revellit*** ex ***Thebis***, non ex fodinis Syenes. Et si cogitasset Gibertus *Caucaseam* illam ***molem***, ut in eadem

Inscriptione appellatur, stare non potuisse nisi in immani Basi sive *Rupe*, quae Basis sive *Rupes* fuit vere et proprie *caedenda*, ut *Obeliscus* inclinaretur, et sterneretur, omnino sensisset, etsi parum eleganter, satis tamen proprie et vere scriptum fuisse: *Caesa Thebis de Rupe revellit.* Quae verba et solertissimus Mercatus Pag. 225. et alii plures cum eo, eodem modo de *Thebis*, et de *excisione* secunda et translationis, ut aequum erat, intellexerunt.

2. Praeterea ideo Ammianus ambitiose et prolixe de veteri Thebarum gloria, deque *Obeliscis* Thebarum tum erectis tum stratis loquutus est, ut patriam *Obelisci* Constantii, de quo peculiari modo agebat, indicaret et significaret. Si *Obeliscus* Constantius sive *Lateranensis* fuisset *Heliopolitanus*, qua ingenii absurditate laborare esset dicendus Ammianus? Sed si nulla plane alia ratione actus potuit Ammianus de *Thebis* prolixe disserere, nisi quia *Obeliscus* Constantius fuisset *Thebanus*, utique etiam auctoritate nobilissimi huius Historici *Obeliscum Lateranensem* cum omnibus fere ceteris doctis viris, qui de eo egerunt, Thebanum tenebimus, et praedicabimus.

3. Tandem accedunt *Stemmata* ipsius Urbis *Thebarum* in *Obelisco Lateranensi* insculpta, et de quibus loco opportuniore, nempe ad calcem huius Disputationis, agemus.

A r t. II.

Etiamsi certum esset Ramessem conditorem Obelisci Lateranensis esse illum ipsum Ramisem, de quo loquitur Plinius Libro XXXVI. *Cap.* 8. *Pag.* 647., *de Historia Obeliscorum agens, etiam inde fieret Obeliscum Lateranensem habendum esse Thebanum, non Heliopolitanum.*

Nam Capiti nono Libri XXXVI. operis Pliniani, quo Capite agi de ipso *Obelisco Lateranensi* Mercatus Pag. 271. Kircherus Oedip. III. pag. 162. Marshamus pag. 455. Zoega pag. 593. et alii plures sunt rati: praefixa sunt verba: *De Obelisco Thebaico*: eaque in omnibus fere notis Libris et Codicibus Mss., ut quatuor etiam huius Regiae Bibliothecae Borbonicae, leguntur: Adeoque damnanda est potius, quam inepte cum Giberto laudanda Harduini audacia, qui hunc Titulum cum ceteris omnibus a suo Plinio eiecerit et proscripserit: Multae enim in Titulis servantur reliquiae Lectionum vetustarum, et probabilium Et quoniam Capite VIII. eiusdem Libri Pliniani vulgo legitur *Mnevidis*, quod est notius nomen *Bovis Heliopolitani*; hinc plures docti Viri, et singillatim Bargaeus, Mercatus, Panvinius legere maluerunt *Memnonis*. Nec profecto temere, vel iniuria. 1. Primo, quia Plinius suo *Mnevidi* tribuit Regiam. Aedes Regales. Atqui nulla umquam Regia fuit *Bovi Mnevidi*, sed omnino σηκος *septum*, ut singillatim animadvertit Strabo Libr. XVII. pag. 805. 2. Secundo, quia scribit Plinius *Regiam* hanc fuisse olim, extitisse quondam. Atqui *Septum*, et si vis Templum Bovis *Mnevidis*

Heliopolitani erat adhuc celeberrimum aetate Plinii, et saltem ad IV. saeculum Christianum perdurasse in celebritate certum est. Nam de eo ut celebri, illustri, et a pluribus spectato loquuntur saeculo secundo Christiano Aelianus de Nat. Animal. Libr. XI. Cap. 11. saeculo tertio Porphyrius apud Eusebium in Praep. Evang. Libr.III. cap. 13. p. 117. et saeculo IV. vel V. Macrobius Saturn. Libr. I. cap. 21. pag. 257. Nec potest obiici, quod Strabo Libr. XVII. pag. 805. exhaustam et desertam *Heliopolim* referat. Nam dubio procul de infrequentia relativa agit, non de absoluta vacuitate. In ipsa enim Urbe nobilissimum Templum describit, et nullum Templum est absque aliqua frequentia et celebritate. Tum Plinius haud multo post de *Heliopoli* agit, ut adhuc stante et incolis frequenti. Et quamvis verba Strabonis sumenda essent, ut prorsus sonant, satis est ut unus σηκος, unum *Praesepe*, una Aedes Bovis *Heliopolitani* superfuisset, ut aperte sciremus Regiam Plinii non posse spectare Praesepe Bovis *Heliopolitani*. 3. Tertio quia Plinius scribit Regem Ramisem, ut *Obeliscum* erigeret a sede sua Regia *fuisse digressum:* Atqui si Ramesses ponitur *Heliopoli* non potuit diei *digressus*, ut ad *Praesepe* Bovis *Obeliscum* poneret, quum *Praesepe* istud esset omnino in eadem Urbe; si vero Ramessem ponimus *Thebis*, tum debebat *proficisci* non *digredi*, si volebat *Obeliscum* Heliopoli constituere. At contra si Ramisem *Thebis* in Palatio puta *Karnachi* ponimus, et eius *Obeliscum* ad *Memnonium* erectum arbitramur, omnia apud Plinium recte et plane procedunt. Nam 1. Primo, ut *Obeliscum* poneret ad *Memnonium* nec proficisci, nec manere potuit, sed *digredi* necesse fuit. 2. Secundo

Memnonium, sive *Regia Memnonis* Aedes longe celeberrima et amplissima fuit: 3. Eaque iam revera *fuerat*, iam *extiterat* aetate Plinii, tum quia Regibus vacua, et tum quia per furores Cambysis, Corn. Galli, et aliorum, si minus excisa, certe corrupta. 4. Et ad *Memnonium* fuisse *Obeliscos* erectos longe probabile est, et potest etiam colligi ex Strabonis loco Libro XVII. pag. 816. quo vulgo legitur ad *Memnonium* εν δε ταις Θηκαις επι τινων Οβελισκων αναγραφαι δηλουσι τον πλουτον των τοτε βασιλεων, και την επικρατειαν etc. Atqui quum haec ipsa in magnis Molibus vel *Obeliscis* descripta Diodorus, et Tacitus tradidissent; et numquam dari potest hos *Obeliscos* positos fuisse εν ταις Θηκαις, etiamsi Θηκαι, quod fieri iure non posse puto, pro ipsis Hypogaeis habeantur, quum porro legi nequidem possit εν δε Θηβαις, ut nonnulli apud Zoegam p. 6. 7. maluisse videntur, quum iamdiu de Thebis istis agat Strabo: restat legendum probabili ratione εγγυς ταις Θηκαις, qua Lectione omnia servari posse arbitror, et Veterum auctoritate probari. Quamobrem est intrinsece probabile loco *Mnevidis* apud Plinium legendum *Memnonis*, ea etiam ratione, quod nomina potissimum propria in Codicibus Plinii fere omnia corrupta et depravata ad nos pervenerint. Quod si nomen hoc immutare in loco Plinii religio est, probari poterit coniectio solertissimi Zoegae, qui de Obeliscis pag. 11. *Mnevidem* Plinii non *Bovem Heliopolitanum*, sed *Menem* vel *Menam* primum et celebratissimum Regem Aegyptiorum intelligere maluit: Quem regnasse *Thebis* ex traditionibus ipsorum Sacerdotum *Heliopoleos* apud Herodotum Libr. II. Cap. 4. pag. 103. aperte colligitur, tum ex Laterculo Regum Thebaeorum

Eratosthenis, quod servavit Syncellus in Chronograph. pag. 73., vel 92. ex Diodoro Lib.I. cap. 45. pag. 54. Wess. luculenter demonstratur. Quamobrem, utcumque legatur locus Plinii, certum est *Obeliscum* Ramessis, utque plurimi arbitrantur *Lateranensem*, fuisse *Thebanum* non *Heliopolitanum*.

A R T. III.

Urbem, quam Plinius agens de Obeliscis Libro XXXVI. Cap. 8. Solis Urbem appellavit, habendam esse Thebas, non Heliopolim certo tenendum est.

1. Primo, quia Urbs, de qua agit Plinius, est Urbs *Regia*, sedes Imperii, Urbs, qua *Reges* longa serie et successione degunt. Atqui *Heliopolis* ad Deltam nec fuit umquam *Regia* Pharaonum, nec esse potuit. Aetate Abrahami et Josephi Proregis, et etiam Mosis, Metropolis et Urbs *Regia* Aegyptiorum dicebatur צען TZON Tzoan, quae putatur *Tanis*, alia et diversa ab און AN, quae fuit, ut omnes tenent, *Heliopolis*. Quumque Apion Grammaticus, et Manetho apud Josephum Flavium libris in Apionem, Mosem et Hebraeos in Aegyptios coëuntes circa *Heliopolim* constituant, plane Urbem *Regiam* ab Heliopoli discriminant. Ex XXX. Dynastiis Manethonis nulla occurrit *Heliopolitana*, etsi aliae plures Urbes Deltae *Heliopoli* obscuriores quandoque sedes *Regiae* extitisse comperiantur. Neque porro ex Herodoto, Diodoro, Syncello, aliove Scriptore vetere colligi potest aliquam Regum Aegyptiorum familiam sedem suam *Heliopoli* habuisse. Et si Strabonis aetate exhausta fere erat Civibus Urbs, si vix

unum Templum insigne in ea distingui poterat, si nullum Palatium ingens et Regale recensetur, nulla utique esse potuit umquam in *Heliopoli* Sedes *Regia*, et habitatio diuturna et ingis Regum Aegyptiorum. Et ita profecto tenendum est. Nam *Heliopolis*, ut facile colligitur ex Herodoto Libr. II. Cap. 4. pag. 103. Strabone libr. XVII. p. 815, 816, aliisque pluribus, fuit omnino Urbs Gentis Sancta, Urbs Sacerdotalis, Civitas Ascetarum, qua Hierophantae insigniores colligebantur ad Templum Solis, ad fontem Heliacum, עין OIN חרם CRS, vel שמש SCMSC, ut semper ab Arabibus et Syris est appellata, et appellatur. At contra fuisse *Thebas* per plura saecula Metropolim Imperii Aegyptii, Sedem *Regiam* Pharaonum, si testes ceteri deessent, essent profecto Templa, Obelisci, Colossi, essent Regiae ipsae, Aedes immanes magna adhuc in parte manentes, quae testarentur. Et quid quid sit de Dynastiis vetustioribus dubitari profecto non potest, quin XVIII. XIX. et XX Dynastia, in quam nos Sesostrim et alios Reges ex XII. Manethonis tamquam ad verum locum suum collocamus, ut in Chronicis Disquisitionibus, Deo dante, ostendemus, Thebis omnino mansissent et degissent: Quibus Dynastiis si 400 tantum anni conceduntur, quot vix viguit Imperium Romanum, et vix artes Graecae floruerunt, satis superque sunt ad propositum nostrum.

2. Secundo, quia *Urbs* de qua agit Plinius, dicitur *expugnata* a Cambyse. Atqui *Thebae* immanibus molibus praecincta et centum portis praeclusa *expugnanda* fuit ab exercitu Persico, et fuisse revera *expugnatam* Ammianus lib. XVII. pag. 108. tradit, et innuit Strabo Libr. XVII. pag. 805. *Heliopolis* contra tenue oppidum, nec

muris, arcibus, turribus munita a magno et victore exercitu *expugnari* non potuit.

3. *Tertio*, quia magna et ingentia *Monumenta Hieroglyphica* non *Heliopoli*, sed *Thebis* primum poni necesse fuit, etiamsi concedatur longe ante *Thebas* aedificatam fuisse *Heliopolim*. Nam occupata Delta a Pastoribus, et veteribus Monumentis, si erant, quod ego non arbitror, corruptis, Meraitae et alii veteres Incolae in *Thebaidem* se receperunt, ubi *Chusitis* et *Arabibus* sociati fundamenta solidae potestatis *Thebis* iecerunt, paullatimque crescendo, et *Pastores* sensim pellendo idonei facti sunt, ut Regnum validum conderent, et *Monumenta* praestantia *Hieroglyphica* erigere valerent. *Pasorum* autem dominationem non modo *Tani*, sed etiam *Memphi*, et adeo *Heliopoli* ad tria circiter saecula perdurasse alibi, Deo dante, ostendemus; adeoque dubitari non potest, quin vetustiores *Obelisci* fuerint *Thebani*.

4. Quarto, quia revera Diodorus data opera et prolixe de *Thebis* agens Libr. I. Cap. 46. pag. 55. plurimos et vetustiores *Obeliscos* positos esse affirmat *Thebis* tum a Busiride, tum a successoribus eius, Sesostride, aliisque; adeo ut etiam quoad *Obeliscos* nulla alia Urbs potuisset *Thebis* comparari.

5. Quinto, quia illi ipsi Pharaones quos Plinius facit *Obeliscorum* conditores Mitres, Mestres, Mestires, 2. Sochis vel Sothis. 3. Ramesses. 4. Sesostris. 5. Nuncoreus etc. spectasse omnino videntur ad *Dynastias Diospolitanas* XVIII., XIX. XX., sive *Thebanas* plane certum videtur. Nam Mestires, et Mitres haberi possunt Ramestes Dynastiae XVIII. quia *Nomina* ista sunt Temurae eiusdem *Vocis*, ut dicemus paulo post: Sothis

et Ramesses egregie congruunt primo et secundo Regi Dynastiae XIX. Et Sesostris et Nuncoreus Sesostridi et Lachari Dynastiae XX. ut nos arbitramur. Tenendum igitur est *Urbem* quam Plinius *Solis* dixit, esse *Urbem Iovis* sive *Thebas*, non vero *Heliopolim* ad Deltam.

6. An autem aequum propterea sit locum Plinii emendare, et pro *Solis Urbe* legere *Iovis Urbe* non audeo dicere. Nam possibile est etiam Thebas dici quandoque potuisse *Urbem Solis*, sive *Heliopolim*. Certe Poggius in versione Latina Diodori pag. 61. pro Διοσπολ, quod vulgo legitur, dedit *Solis Urbem*, adeoque in Cod. Ms. suo visus est legisse Ηλιουπολιν: et *Solis Urbem* retinuit in Editione sua Wesselingius pag. 55. etsi Διοσπολιν in Textu originali produxerit. Franciscus Bianchini vir doctissimus in Histor. univ. Pag. 407. *Heliopolim* babuit *Thebas* magnas: et *Heliopolim* dictas *Thebas* quandoque ex aliquo Ms. Codice Diodori desumsisse videtur Robertus Stephanus in Linguae Latinae Thesauro. Tum constat Aegyptium Deum Heliopolitanum, cuius Religio in Heliopolin Syriae translata fuit, dici a Macrobio, qui *Saturn.* I. c. 23. *pag.* 262. de eo disserit, *Iovem* et Δια, et a Damascio in Excerp. Photii p.1052. et ab aliis solemni et certo modo: Et contra Ammonem Deum, qui videtur omnino Deus Thebarum, dictum fuisse *Solem*, animadvertemus paulo post. Amarem autem ut quis haec omnia diligentius excutiat et expendat: Atque conetur potius duplicem istam *Heliopolim* Aegyptiam refellere, quia levissimo plane fundamento innititur, et in Textu Plinii *Iovis urbem* reponere, ut Historia Aegyptiorum confusa adhuc et inops possit et hoc fragmento adiuvari, quum contra

gravissime corrumpatur, ubi legitur *Solis Urbe*, et intelligitur de *Heliopoli* ad Deltam, quod plures hactenus et doctissimi Viri fecerunt, haud certe Aegyptiae Chronologiae bono.

A r t. IV.

Obeliscus Flaminius sive Augusteus Circensis fuit Heliopolitanus.

Constat id primo auctoritate Strabonis, qui Libro XVII. pag. 805. de Heliopoli et eius Obeliscis loquens scribit: ὧν Ὀβελισκων δυο και εις Ῥωμην εκομισθησαν, οἱ μη κεκακωμενοι τελεως. *Horum* Obeliscorum *duo etiam Romam adducti sunt haud omnino combusti.* Et horum unum *Divus Augustus in Circo magno statuit:* Alius *est in Campo Martio:* Quae sunt verba Plinii Libr. XXXVI. C. 9. p.650. Constat insuper auctoritate Ammiani, qui eodem Libro XVII. Cap.3. pag. 110. scripsit, *Octavianus Augustus Obeliscos duos ab Heliopolitana Civitate transtulit Aegyptia: quorum unus in Circo maximo, alter in Campo locatus est Martio.* Constat tandem ex *Stemmatibus* Urbis *Heliopoleos*, quae adhuc in *Obelisco Flaminio* cernuntur, et quae attingemus in fine huius Disputationis.

A r t. V.

Obeliscus Hermapionis fuit Heliopolitanus.

Nam de una Urbe *Heliopoli* in Textu Hermapionis agitur; una haec Urbs quater in uno adhuc Obelisci latere dicitur aucta, exornata, magnificata tum a Diis, tum a Rege. Adeo ut non modo certum sit Obeliscum positum fuisse *Helio-*

poli, sed fuisse etiam quasi pignus et documentum amoris et benevolentiae ergo *Heliopolitas.*

Art. VI.

Ergo Obeliscus Hermapionis est ipse Flaminius.

Certum est Interpretationem Hermapionis spectasse *Obeliscum Augusteum Circensem*: Certum est *Obeliscum Augusteum Circensem* esse ipsum *Flaminium*. Ergo certo aeque tenendum est *Obeliscum Hermapionis* esse ipsum *Flaminium.*

CAPUT V.

Obiectiones nonnullae refelluntur.

Art. I.

Quod Hermapion Obeliscum suum tribuat Regi Ramesti, Plinius contra Libr. cit. Obeliscum Augusteum sive Flaminium tribuat Regi Semnesertaeo, haud obstat quin Obeliscus Hermapionis sit Flaminius.

1. Primo, quia si Rex *Semnesertaeus*, de quo Plinius loquitur, is habendus est quem vicit et necavit Cambyses, et de quo praeter ceteros egit Herodotus Libr. III. cap. I. pag. 159. numquam is esse potuit conditor *Obelisci Flaminii*, ut paulo supra pag. 90. demonstravimus; Adeoque auctoritas Plinii urgeri non potest.

2. Secundo, quia si *Semnesertaeus* Plinii in aliam aetatem est reiiciendus, et alius Pharao habendus est, puta *Nechao*, tum si licuit Plinio appellare hunc *Semnesertaeum*, quidni licuisset Hermapioni appellare *Rameseň*?

3. Tertio, quia constat Reges Aegypti fuisse Polyonymos, et adeo fieri potuisse, ut *Semnesertaeus* Plinii esset ipse *Ramestes* Hermapionis. Qui *Sesostris* est Herodoto, et aliis pluribus, est *Sesoosis* Diodoro, *Sesonchosis* Dicaearcho, *Sethos* aliis, *Ramesses* Tacito, ut plerique docti viri tenent. Qui *Sesostris* secundus est Ausonio, Diodoro est *Sesoosis* secundus, *Pheron* Herodoto, *Lachares* vel *Labares* Manethoni, *Nuncoreus* Plinio. Is ipse Rex quem vicit et necavit Cambyses est *Psammenitus* Herodoto, *Psammenichus* Synesio, *Psammacherites* Africano, dubio procul ex Manethone, *Amyrtaeus* Ctesiae. Quid igitur obstat, quin *Ramestem* Hermapionis habere possimus eumdem ac *Semnesertaeum* Plinii?

4. Quarto, quia *Ramestis* vel *Ramessis* nomen, quod Hermapion, et alii plures servarunt, videtur nomen commune, et solemne *Pharaonum* omnium, quod in Sacris Monumentis sumerent, ut paulo post dicemus, adeoque potuerunt et saepe debuerunt esse nomina Demotica et Popularia ab eo diversa, et quae alii potuerunt colligere et tradere.

5. Quinto, quia *Semnesert-aei* nomen ipsa Temura est nominis *Ramestis*, unumque nomen literis permutatis. Adeo ut ego non dubitem, quin deductum sit ex eodem illo *Stemmate* celeberrimo *Pharaonum*, de quo paulo post agemus. Frustra igitur Gibertus loc. cit. pag. 669. hanc nominum diversitatem obiecit, ne *Obeliscum* Hermapionis in *Obelisco Augusteo Circensi* agnosceremus: Quin nos contra ex eodem *Stemmate Obelisci Flaminii* tum *Ramestis*, tum *Semnesertaei* nomina summa probabilitate deduci et desumi potuisse tenebimus.

Art. II.

Quod Obeliscus Hermapionis fuerit Soli maxime sacer, et in Obelisco Augusteo Circensi sive Flaminio rerum Naturae interpretationem contineri loc. cit. Plinius affirmet, haud officere potest, ne Obeliscus Hermapionis sit Flaminius.

Nam apud Veteres Gentes, et singillatim Aegyptios una plerumque fuit Cosmologia et Theogonia, una Philosophia et Theologia, una Physica et Scientia Deorum, quia Deos ipsi Mundo intime commiscebant et confundebant. In ipsa Graecia omnes Sectae Philosophicae, quibus plura communia cum Aegyptiis fuisse nemo negabit, Pythagorae, Heracliti, Platonis, Aristotelis, Zenonis, una Physicam et Theologiam comprehendebant, quia omnibus erat vel Natura una, Systema unicum Rerum ex Divinis et terrestribus Substantiis factum: vel repetebant illis similia (Aeneid. VI. v. 724. etc.)

Principio Coelum, ac Terras, Camposque liquentes
Spiritus unus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

Quamobrem si sermo de *Sole* est nobis tantum Physicus, Aegyptio vero, et Stoico, et Neo-Platonico erat unâ Physicus et Theologicus, quia *Sol* eis erat Deus, quia *Sol* qui lucet et annum facit, divinitate etiam erat praeditus: Adeoque si in *Obeliscis* de *Sole* agitur, agetur etiam omnino de Philosophia et Scientia naturali Aegyptiorum.

Quod si Gibertus, et Pavvius, qui haec obiiciebant ille Loc. cit. pag. 669. is in *Recherch. sur les Egypt.* T. I. p. 32. vel quivis alius contendere

vellet verba Plinii, ut plane sonant sumenda, et revera Tractatus aliquos Physices et Scientiae naturalis in Obeliscis esse inveniendos, eos prorsus falli responderemus. 1. Quia *Scriptura Hieroglyphica* fuit omnino Sacra et Theologica. 2. Quia Tractatus didactici Physices scribi in ea nequeunt, ut ostendimus in Fund. Hermen. Libr. I. Sect. III. Pag. 72. 73. 3. Quia demonstratum est ipsa Plinii auctoritate Obeliscos fuisse sacros *Soli*, et laudes, preces, facta, gestaque Deorum, et Regum fuisse unice in eis descripta. Et certum porro est auctoritate Ammiani Marcellini, qui doctior Plinio in Hieroglyphicis est habendus, *Obeliscum* ipsum *Lateranensem* sive Constantii *Deo Soli speciali munere dedicatum fuisse*, Libr. XVII. Cap. 3. pag. 110.

CAPUT VI.

In Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Flaminii non Nomina vulgaria unius, aut plurium Regum Aegyptiorum, sed Nomina et Emblemata Deorum magnorum Aegyptiorum, et singillatim Dei Solis sunt omnino et unice invenienda.

ART. I.

Regibus Aegyptiis praeter Nomina natalitia, et cognomina aliis de caussis non raro superaddita fuisse alia Nomina Sacra, solemnia, divina dubitari non potest.

Reges et summos Imperantes etiam in Regiminibus temperatioribus apud veteres Gentes praeter

Nomina natalitia vel Cognomina Popularia adsumsisse alia nobiliora, angustiora, et saepe prorsus divina, et unis Diis immortalibus propria certum est: Deque ea re plura opportune adnotarunt Vossius de Idololatr. Libr. III. Pag. 295. Morhofius in Dissert. Acad. Pag. 84. Bulengerus de Imperio Roman. Libr. I. Spanhemius de Praest. Num. I. pag 426. 430. Grandius *De' Cognomi*. Pag. 140. 171. Villoison, Lett. 11. ad Akerbl. in Millini Magas. ann. 1803. Tom. L. pag. 182. 190. aliique plures. In Regiminibus vero Casticis et Hierarchicis, ut fuit Aegyptium, cardo fundamentalis ipsius Regiminis et Systematis Politici fuit Divinitas *Regum*; quum Sacerdotes subesse et parere unis Diis possent, et adeo ipsos Deos suos in *Regibus* apparere, manifestari, incarnari necesse fuit, et adeo *Regibus* ipsa Nomina, ipsos Titulos, ipsos Ornatus, ipsa Symbola *Deorum* immortalium saepissime tribuere et apponere. Quam *Regum* Aegyptiorum divinitatem, ut aequum erat, testatus est Diodorus Libr. I. Cap. 90. Pag. 101. Libr. II. c. 101. p. 275., indicavit Virgilius Georg. IV. v. 210., et firmavit in eum Servius: Tum Synesius de Provid. Serm. I. Pag. 93. et iterum Diodorus Libr. III. Cap. 3. pag. 175. de Aethiopibus sive fratribus sive filiis Aegyptiorum, et Heliodorus Aethiopic. Lib. V. pag. 223. aliique agentes: Quin omnium vetustissimus Ezechiel Propheta Cap XXIX. v. 3. et 9. haec verba in ore *Pharaonis* Draconis magni Niliaci ponens: *Meus est fluvius, et ego feci eum;* vel ut Vulgata habet, et plures Interpretes tuentur: *ego feci memetipsum*, aperte ostendit *Pharaones* Aegypti non tantum Deos existimasse sese, sed Deos summos, conditores Mundi, Auctores Rerum omnium, et propterea Epipha-

nias et incarnationes summarum Potestatum, quae sint in Mundo: Et quoniam potestates, munera, officia absque titulis, epithetis, nominibus convenientibus non sunt, propterea dubitari non potest, quin *Regibus* Aegypti nomina sua divina, sacra, augusta fuerint.

2. Praeterea aeque certum est in Regiminibus Casticis et Hierarchicis Reges vel eligi et desumi ex ordine Sacerdotali, aut Militari, vel saltem firmari et constitui a Sacerdotibus, et hinc solemni ritu consecrari et initiari. Et Reges singillatim Aegyptios vel electos et confirmatos, vel consecratos et initiatos a Sacerdotibus auctoritate Plutarchi de Isid. Pag. 354. Synesii de Provid. Serm. I. et II. ex Tabula Rosettana, quam egregie de hac re illustravit Cousinery in Millini Magas. T. LXIX. pag. 107. etc., et ex pluribus *Dramatibus* sacris in parietibus Templorum Aegyptiorum exculptis est perspicuum. Atqui consecrationes, inaugurationes *Regum*, solemnes declarationes, quod Divinitas in eis sit aperte manifestata, haberi non possunt absque Nominibus augustis, divinis, sacris. Hinc omnino tenendum est veteribus *Pharaonibus* fuisse, praeter natalitia et vulgaria, alia Nomina augusta sacra et divina.

3. Quae autem fuerint huiusmodi sacra et augusta *Pharaonum* Nomina nemo singillatim tradidit, sed possumus omni aequa probabilitate colligere, vel coniicere ex Textu Hermapionis cuiuscumque auctoritatis ponatur, ex Textu Graeco Tabulae Rosettanae, ex Inscriptionibus Adulitanis, ex Titulis atque Epithetis Ptolemaeorum, Seleucidum, Regum Parthorum, Sassanidum, Imperatorum Romanorum, ex Nominibus etiam Imperatorum Sinensium, Chaliphārum, et aliorum Regum Muhammedanorum, et ita porro.

ART. II.

Nomina Regum Aegyptiorum, quae colliguntur ex Manethone, Eratosthene, Herodoto, Diodoro, Plinio, Eusebio, Syncello etc. haberi non possunt divina, augusta, solemnia; sed habenda sunt natalitia, et popularia.

1. Primo, quia huiusmodi Nomina tanta discrepantia Scripturae, tanta varietate Orthographiae ad nos pervenerunt, ut vix credi possit. Qui modo scribitur Τεθμωσις, erit paulo post Τουθμωσις, Τεμωσις, Θμωσις, Θμουθωσις, Αμωσις etc. Ῥαμεσσης est modo Ῥαμσης, modo Ῥαψης, Ῥαμψης, modo Αρμεσης, modo Ῥαμψινιτος, et ita porro. Atqui tanta varietas nec ipsis Scriptoribus, sive Graecis sive Latinis, nec adeo ipsis Scribis Codicum et Amanuensibus tribui potest. Nam isti ipsi Amanuenses, ipsi isti Scribae plurima alia nomina Syrorum, Parthorum, Indorum, vetustissimorum Graecorum, et Etruscorum scripserunt, nec tantam unquam discrepantiam in Scripturâ admiserunt, quod iam indicavimus in Hermen. Hierogr. Libr. II. Sect. III. Pag. 189. 190. Praeterea Manetho ipse apud Iosephum Flavium in Apion. Libr. I. pag. 1053. haec scribit: *Amenophis Rex Aegypti* τον δε ὑιον Σεθων τον και Ῥαμεσσην απο Ῥαψηους του πατρος ωνομασμενον πενταετη οντα εξεθετο προς τον ἑαυτου φιλον. *Amenophis nempe filium Sethon, Ramessen etiam dictum a Patris Rapseos nomine adhuc quinquennem ad amicum suum praemisit.* Quin paulo post iste ipse Sethon-Ramesses, dicitur ῥαμψης. Pag. 1054. Manethoni ergo Ramesses, et Rapses, et Rampses erant unum et idem nomen. Et propterea tenendum est plures

ex varietatibus Orthographicis Nominum *Regum* Aegyptiorum deberi vel Sacerdotibus ipsis, qui eas peculiari arte conficerent, et certo consilio loquentes ad Graecos vel Romanos variarent; ut nos tenemus, et paulo post suadere conabimur; vel ipsi Vulgo et Populo Aegyptiorum, quia omnis Plebs in Nominibus propriis corrumpendis et depravandis delectatur. Italis sane *Ioseph* est *Giuseppe*, *Giuseffo*, *Peppe*, *Pépé*. *Antonius* est *Tonno*, *Totonno*, *Tótó*. *Franciscus* est *Francesco*, *Cecco*, *Ciccio*, et ita porro.

2. Secundo, quia ex testimonio Manethonis, cuius verba modo audivimus, Puero quinquenni erat nomen *Sethon* vel *Sethos*, quod ipsum nomen fuerat iuxta eumdem Manethonem apud eumdem Iosephum pag. 1052. uni ex maximis Regibus Aegypti, quem alii Regem XV. faciunt Dynastiae XVIII. alii primum XIX. Et alius porro est *Sethon* Rex Aegypti Herodoto Lib. II. cap. 141. coaevus Sennacheribo Regi Assyriorum. Praeterea nomen *Amenophis*, quod habuerunt quatuor ad minimum Reges Aegypti, est nomen filii cuiusdam *Paapis*, dubio procul Sacerdotis, apud eumdem Manethonem et Iosephum Loc. cit. pag. 1052.

3. Tertio, quia in plerisque ex indicatis Nominibus *Regum* Aegyptiorum quacumque methodo, quacumque sollertia, quacumque Lingua, nec Eratosthenes olim, nec propinquioribus temporibus Iablonskius, Georgius, Rossius, Drummondius, Sicklerus Epitheta divina, Titulos augustos, et Regibus proprios invenire sciverunt. Et si ex Laterculis Manethonis, Eratosthenis, et aliorum colligi possunt plusquam decem Nomina *Regum* Aegyptiorum facta ex *Cheres* חרס CRS sive Sole, ut fatetur ultro ipse Coptophilus Georgius in Alph.

Tibetan. pag. 72. haud inde fit Nomina iam esse *Divina* et *Augusta*. Nam nomen Solis חרס CRS est commune, non *Augustum*, et *Theologicum*, et aliae semper adiectae sunt voces, quibus *donum munus Solis* significatur, ut *Mencheres* factum a מנח MNC *dono*, munere, et חרס CRS *Solis*; et *Moscheres* a משא MSCA pariter *munere*, *dono*: *Acencheres* a ניק NIQ infante, קנה QNE possessione, dominio *Solis*, quae nomina potuerunt convenire cuicumque plebeio Aegyptio, ut patet ex nominibus Demoticis haud absimilibus, quae colliguntur ex *Papyro Borgiana* edita a *Schow*, et ex illis quae edidit Ioung *in Discoveries* Pag. 123. 126. et si Nomen *Ramessis*, quasi *filium*, et *prolem Solis*, a *Re*, et *Misi parere* factum, plures Coptophili, inter quos dolet doctissimum Georgium in Alph. Tibetan. pag. 78. esse adnumerandum, tenuerunt, perperam et iniuria fecerunt. Nam *Solem* Aegyptiis dictum fuisse *Re* tertio, quartoque saeculo Christiano, et si vis primo, omnes dabunt, saeculis vetustioribus non dabunt. Nam aetate Eratosthenis *Sol* Aegyptiis vel erat adhuc plenum *Cheres* חרס CRS, vel erat *Ires* vel *Hres* saltem, et antea prorsus *Cheres*, ut ex tot Nominibus propriis Regum ex pleno *Cheres* compositis constat. Praeterea Coptitae non *Re*, sed *Pre*, *Phre* efferunt, et etiam in compositione, ut notum est; nec adhuc Nomen unum ex *Re* Sole compositum aliquis protulit. Tertio *Msi*, *Misi* nimium recedit a *messes*, *mestes*, ut plurimi scribunt: Et quod gravius *misi* Coptitarum est *parere*, edere *partum et foetum*, non gignere ex semine masculi: At quis faciet *Solem* parientem, et uterum gestantem?

Tenendum ergo est *Nomina Regum* Aegyptio-

rum, quae ex veteribus Scriptoribus colliguntur esse vel *Natalitia*, vel *Popularia*, et quae Sacerdotes pro consilio et proposito suo regerent, immutarent, variarent, et diverso modo, et sono inflecterent.

A R T. III.

In Ellipsibus Hieroglyphicis Monumentorum Aegyptiorum praestantissima quaeque, et sacratissima contineri et claudi debuerunt.

1. Primo, quia *Ellipsis Hieroglyphica*, ut animadvertimus ad Tabul. Rosett. Lin. VI. p. 12. est omnino ille Κυκλος λοξος summi viri Clementis Alexandrini Stromat. V. pag. 567. qui testatur *Cyclo* huiusmodi Aegyptios significasse Επινοιαν, Αριθμον, et Μετρον. Et quoniam eodem in loco adnotavimus *Linea recta osculatrice* vim sentiendi, laetandi, gaudendi fuisse significatam, hinc dubitari non potest, quin Aegyptii praestantia et insignia Ellipsibus suis Hieroglyphicis clauserint.

2. Secundo, quia *Ellypses Hieroglyphicae* eo in loco saepius collocantur, ea Symboli adponuntur, iis Schematibus Sacris insigniuntur, ut nefas sit dubitare, quin Sacramenta quaedam Religionis nobilissima iis claudantur. In *Obelisco* Lateranensi *Ellipses Hieroglyphicae* in summo vertice sunt insculptae, et in *Obeliscis* Mahuteo, Mediceo, Coelimontano etiam in fastigio iuxta Sacrum Scarabaeum. In plurimis autem aliis Monumentis *Ellipses Hieroglyphicae* a Sacris Animalibus iuxta adpositis omnino videntur adorari, coli, servari, custodiri.

3. Quamobrem palam est huiusmodi *Ellipses*

non potuisse adhiberi, ut signa orthographica, ex. gr. ut *Scriptura Alphabetica* discerneretur a *Symbolica*: ad quem usum fuisset etiam absurda *Linea* illa *osculatrix*, vel arctius etiam colligata et coniuncta. Neque porro ex Alphabetophilis recentioribus esse potest aliquis ita Systematis sui ignarus, qui illâ *Curvâ* lineâ literas Alphabeticas claudi autumet. Nam ipsis sunt plurimae *Ellipses* totae ex Schematibus Symbolicis non Alphabeticis factae, et plurima ponuntur *Alphabetice* scripta extra *Ellipses Hieroglyphicas*: Et quod peius nulla potuit unquam esse necessitas, ut *septo* aliquo, et quasi vallo et claustro coërceretur et clauderetur Vox ex. gr. *Caesar*, quae erat etiam Kaisal, Kaisalis, Geisaris, Kisalis, Chisul, Cesalis, et quae adeo per tot absurdas formas longe vagabatur et late excurrebat. Ceterum nos quamcumque *Scripturam Alphabeticam* a *Monumentis* Aegyptiorum *Hieroglyphicis* pluribus removimus in Hermen. Hierogr. Libr. II. Sect. II. et III. Pag. 157. ad 207.

A r t. IV.

In Ellipsibus Hieroglyphicis cuiuscumque Monumenti Aegyptii numquam poterunt inveniri Nomina Regum Aegyptiorum, quae colliguntur ex Manethone, Eratosthene, Herodoto, Diodoro, Plinio, Eusebio, Syncello.

1. Primo, quia in *Ellipsibus Hieroglyphicis*, ut modo demonstratum est, una Sacratissima Nomina, una praestantissima Stemmata potuerunt collocari, et adeo poterunt inveniri. Atqui *Nomina Regum* Aegyptiorum, quae ex *Laterculis* colliguntur minime sunt *Divina*, *Augusta*,

Sacra, sed omnino Popularia, Natalitia, et saepe corrupta, depravata, et nullius adeo certae potestatis et sanae sententiae, ut demonstratum est Art. 2. Pag. 110. 111. Et plane nefas est cogitare Sacris illis *Cyclis* sive *Ellipsibus* saepius in nobilissima et praestantissima parte Monumenti collocatis contineri ex. gr. *Sirium*, sive *filium Genae: Cnubum Gneurum*, sive *aureum Aureae filium. Anoyphem* sive *filium communem*, et delicto conceptum, et alias similes ineptias et absurditates.

2. Secundo, quia *Pharaones* conditores magnorum Monumentorum Hieroglyphicorum vix ad viginti vel triginta possunt numerari usque ad Amasim Cyri et Cambysis coaevum, quod certum est tum auctoritate Scriptorum veterum; tum intrinseca probabilitate Chronologica: quam alibi, Deo dante, quaeremus. Atqui *Ellipses Hieroglyphicae* ad multas Centurias adsurgunt.

3. Tertio, quia *Ellipses Hieroglyphicae* tam variâ saepe sunt serie dispositae; tam immani numero sese excipiunt, modo invicem diversae, modo parum diversae, modo eaedem; tam diverso ordine permutantur, invertuntur, permiscentur, ut quamcumque possibilem *Regum* successionem et Chronologicam seriem evidenter excludant: Adeo ut maximis absurditatibus ingenii humani opinio illa *Alphabetophilorum* sit accensenda, qua in his seriebus *Ellipsium*, sive Hierogrammatum, et *Hiero-Emblematum* Aegyptiorum iam veras successiones Pharaonum, veros Canones Chronologicos, vera Latercula Regum Aegyptiorum sese detexisse et deprehendisse summa cum pertinacia et gloriatione iactarunt.

4. Quarto, quia *nomina Pharaonum*, quae petuntur ex Laterculis sunt fere semper unica, et

solitaria, *Ellipses* vero *Hieroglyphicae* fere semper binae, fere semper iugatae, *Apiariae* nempe et *Anserinae*, ut plurimum.

5. Quinto, quia *Nomina Regia Laterculorum*, ut *Rampses*, *Rapses*, *Rampsinitus*, *Thmosis*, *Tethmosis* etc., si Lectiones sunt certae et accuratae, nonnisi *Alphabetice* scribi potuerunt: Et interea nemo ex *Alphabetophilis* quatuor ex his Nominibus valuit legere *Alphabetice*. Et nos impossibile plane esse ut *Alphabetice* legant demonstravimus, et *Alphabeta* esse prorsus exclusa ex Scriptura Hieroglyphica iam ostendimus in *Herm. Hierograph.* Libr II. Sect. II. et III. Haec autem et alia non pauca attigimus etiam in eadem *Hermeneutic. Hierograph.* Libr. II. Sect. III. Pag. 188. ad 191. Sed hic iuvit iterum ea adponere, et alia illis superaddere, ut clarius et luculentius appareat, quod frustra in *Ellipsibus Hieroglyphicis* quaeruntur *Nomina Regum* Aegyptiorum *Natalitia*, vel *Demotica*, vel a Sacerdotibus ficta, quae Manetho potissimum collegit et tradidit.

ART. V.

In Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Flaminii, Sallustii, Mahutei, Medicei, Coelimontani, numquam legi poterit Nomen Ramessis, etiam secundum Data et Postulata Alphabetophilorum.

1. Primo, quia etsi detur lubenter *Protomen Hieracocephalam* significare Deum *Solem*; non potest aeque dari esse RE, RA. Nam Deus *Sol* est *Osiris*, *Horus*, *Arueris* Aegyptiis, adeoque ut demonstratum est Libr.I. *Hermeneutices*, ne-

cessarium est aliud Symbolum, vel alia plura, quae istam vocem RE aperte prodant. Atqui ista Symbola ab *Alphabetophilis* non fuerunt indicata, et profecto non sunt.

2. Secundo, quia etiamsi certum esset indicari illâ *Protome* Nomen *Solis* vulgare et populare, ostendendum fuerat decimo fere saeculo Prochristiano nomen illud Aegyptiis fuisse RE, RA: Quod nec fecerunt, nec facere potuerunt: Vel saltem in compositione nominum scribi RE, non PHRE, ut scimus certo scribi. Atqui veteribus temporibus *Solem* appellatum ab Aegyptiis *Cheres*, vel *heres* certum est, ut indicavimus supra pag. 112.

3. Tertio, quia Feretrum *Alphabetophilis* est M, ME, MA, et adeo, concesso etiam falsissimo illo RE, lectio esset REMEMESSES: Atqui quamvis RAMESSIS Nomen incredibili modo varium ad nos pervenisset, numquam tamen hoc modo scriptum novimus.

4. Quarto, quia MEMESES, vel etiam MESIS *Alphabetophilorum* sunt voces Copticis ignotae et nullius potestatis, et prorsus adeo abiiciendae, maxime quum agatur de *nomine Regio*. Quod si *Memeses* vel *mesis* contrahere volunt in *Mesi*; *Misi*, quod est usura, foenus; vel *mischi* percutere verberare; vel *Misi* parere parturire, ipsi viderint.

5. Quinto, quia adest adhuc alia Protome, quae penitus hunc *Misi foetum* turbat et pessumdat. Champollionus auctoritate sua nominat eam *Ammonem*, *Amn*; et nos auctoritate nostra pernegamus, quia characteres *Ammonis* sunt prorsus alii et diversi. Et quia *Feretrum* est commune etiam huic *Protomae* erit alia M, quam Champollionus interpretatur *Mai*, et legit *Amn-mai*:

Amans Ammonem. Perperam, quia Coptitae constantissime praefigunt verbum *mai* nomini, et ita ut dicerent Mai-Ammon, omnino, ut Manetho tradit dictum quemdam *Ramessem Mai-Amun*, et Eratosthenes alium Regem Thebaeum *Ko-mai-Phtha.* Ex ipsis igitur *Datis Alphabetophilorum* Lectiones nonnisi absurdae oriuntur, ut necesse est oriri ex radicali, et absoluta falsitate.

Art. VII.

In Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Lateranensis numquam legi poterit nomen Regis Tuthmosis, ex ipsis Datis et Postulatis Alphabetophilorum.

1. Primo, quia etsi concedatur *Ibidem* dictam aliquando *Thoyth Thoth* necessaria sunt Symbola determinantia, ut in hac vel illa *Ellipsi* sit potius *Thoth*, quam *Ibis*, vel aliud nomen: Atqui haec Symbola ab *Alphabetophilis* non fuerunt indicata, et revera non sunt.

2. Secundo, quia nomen *Regis* constanter scribitur *Tethmosis*, vel *Tuthmosis*, Τεθμωσις, Τουθμωσις, numquam Θωυθμωσις: At nomen Dei a Graecis scribitur constanter Θωυθ, a Copitis nomen Mensis, qui a Deo est, Thooyt: quae vehementer ab illis discrepant, et quorum etyma omni iure ex diversis Radicibus petenda sunt.

3. Tertio, quia *Mos*, *Mosis*, si ab illo *misi* parere, foetum edere deducuntur, absurda sunt, ut superius animadvertimus.

4. Quarto, quia in *Ellipsi* posita ad ipsum verticem *Obelisci* non legitur ex Datis *Alphabeticis Teth*-mosis; sed *Thoyth-mei-set*: In *Ellipsi* vero posita ad Basim *Tem-thoyth-stei*: quae plurimum discrepant, et nullam fidem faciunt.

Art. VIII.

In Ellipsibus Hieroglyphicis cuiuscumque Monumenti Aegyptii una Deorum magnorum Nomina, una Stemmata divina poterunt inveniri.

1. Primo, quia nil praestantius, nil nobilius dari potest *Nominibus Deorum*, *Stemmatibus Divinis*, et in *Ellipsibus Hieroglyphicis* una praestantissima et sacratissima posse inveniri demonstratum est Art. III. pag. 113 114.

2. Secundo, quia *Nomina*, cognomina, epitheta *Deorum* magnorum, *Stemmata* et *Emblemata Divina* apud omnes Gentes cuiuscumque Regiminis paullo cultioris fuerunt semper plurima; et si quis modo vellet colligere *Nomina*, cognomina, symbola *Iovis*, *Minervae*, *Veneris*, *Apollinis*, *Mercurii*, *Bacchi* etc. quae apud Graecos et Latinos obtinuerunt et invaluerunt, plures centurias colligeret et adunaret: Iudaei, Muhammedani, Buddistae plures centurias habent Nominum et Symbolorum Divinorum Atqui Regimina Castica sunt ceteris magis Religiosa, et maior inde *Nominum* et *Stemmatum divinorum* copia est invenienda. Quamobrem ingens numerus *Ellipsium Hieroglyphicarum* prorsus absurdus, si agitur de Regum *Nominibus*, egregie congruit cum numero *Nominum*, et *Stemmatum Divinorum*, quae in Regimine Castico sunt invenienda.

3. Tertio, quia *Stemmata divina* absque ullo detrimento possunt saepius eadem repeti, possunt leviter immutari, possunt penitus variari, possunt permutari et inverti, possunt prolixa

serie ordinari, eo plane modo, ea ipsa ratione, qua *Ellipses Hieroglyphicae* dispositae et ordinatae sunt in Monumentis Aegyptiorum.

4. Quarto, quia in Regiminibus Casticis et Sacerdotalibus uni *Dii* magni sunt et habentur in pretio. Si *Reges* et summi Imperantes *Nominibus* et Symbolis Deorum amiciuntur et obteguntur, aliquid sunt; si in propria humana sua nuditate vellent apparere, Sacerdotibus non essent, nihil in Regimine Castico ducerentur.

5. Quinto, quia demonstratum est ad Tab. Rosettan. Lin. VI. Pag. 10. *Apem*, *surculum Palmae*, et *duos Semicirculos* non significare *Regem*, sed *dilectum amatum* et *charum*, et propterea inveniendum *Deum*, qui amat tuetur et fovet in *Ellipsi*. In *Hermen. Hierogr.* Libr. II. Sect. III. Pag. 193. ostendimus *Ansere* et *Globo* non *Filium Solis*, sed *Filium* omnino significari: Adeoque *Patrem*, genitorem *Regis* sive *Deum* inveniendum in *Ellipsi*. Cetera vide in eodem loco pag. 191. 192. 193.

A r t. IX.

In Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Flaminii invenienda esse plerumque Nomina et Characteres Dei Solis, Stemmata et Emblemata Heliaca certo tenendum est.

1. Obeliscos enim peculiari ratione et modo sacros fuisse *Deo Soli* constat. 1. Primo, testimonio Plinii, Tertulliani, Ammiani Marcellini, Cassiodori, et aliorum. 2. Secundo, auctoritate Augusti Caesaris Pontificis Maximi, qui utrumque *Obeliscum*, quos ipse ex Aegypto duxerat, *Soli* sacravit. 3. Tertio, quia plures *Obelisci* sa-

crati fuerunt peculiari Religione a Regibus Aegyptiis in ipsa *Solis* urbe, in ipso *Solis* Sacrario, sive *Heliopoli* ad Deltam: 4. Quarto quia frequentissime spectantur in *Obeliscis* Symbola *Solis* certissima et receptissima: *Accipiter Mitrephorus*, et *Scarabaeus*, de quo ipsi nos ad *Hierogl. Script.* nonnulla animadvertimus Pag. 40. 41. et de quo plura adhuc possent adnotari. *Obeliscum* porro *Flaminium* singillatim fuisse *Deo Soli* sacrum inde constat, quod stetisset *Heliopoli*, et inde ductum Augustus Pontifex Maximus *Deo Soli* sacrasset in augustiore et certiore *Solis* aede, nempe in *Circo maximo*.

2. Quumque dubitari non possit, quin in Monumento *Deo Soli* consecrato frequens prorsus et repetita mentio *Nominum* et Characterum *Numinis* sit necessario invenienda, quum *Obelisci* enormitatem *totam Deo Soli prostitutam* auctoritate ipsius Scriptoris Aegyptii testatus esset Tertullianus: et demonstratum sit paulo supra Art. VIII. pag. 119. una Deorum magnorum *Nomina* et *Stemmata* posse inveniri in *Ellipsibus Hieroglyphicis*, palam est in pluribus *Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Flaminii* esse omnino invenienda *Stemmata* et *Nomina Dei Solis*.

Art. X.

Qui recusaret agnoscere in Ellipsibus Hieroglyphicis Monumentorum Aegyptiorum Nomina et Stemmata Deorum magnorum, quod hoc pacto Chronologia et series Regum Aegyptiorum obtineri non possit, iniuste et absurde faceret.

1. Primo, quia strictissimum officium nostrum est quaerere non quod iucundum est, non quod iuvat, sed quod verum est, quod veritate nititur; Adeo ut, etiam si dandum esset amitti penitus nescio quam *Chronologiam Regum* Aegyptiorum, si *Ellipses Diis* magnis assignantur, amittenda omnino esset *Chronologia* huiusmodi, quia necessario falsa, et quod falsum, impossibile est esse bonum et utile.

2. Secundo, quia ubi in *Ellipsibus Hieroglyphicis* collocantur *Nomina Regum* popularia tam absurda Chronologia exsurgit, ita penitus Vetustati toti adversa, ut nihil supra: *Commodus, Adrianus*, *Traianus*, *Domitianus*, *Nero* fiunt Pharaones, fiunt Personae dramatum *Pharaonum*, fiunt Aegyptii vetustissimi. Adeo ut siquid reverentiae sit veteris *Chronologiae*, si quis amor veritatis Historicae, ut etiam in *Prolegomenis ad Hermen. Hierographicam* §.18. pluribus monuimus; expellendi plane sunt ab occupatis iniustissime locis usurpatores, et magni Aegyptiorum Dii legitime reponendi.

5. Tertio, quia *Ellipses* etsi directe et proprie Regum non sunt, possunt tamen iis Reges discerni, notari, et nominari: Et propterea fieri etiam potuit, etsi id hîc non praestem, ut Sa-

cerdotes singulis Regibus *Stemmata Deorum* peculiaria adsignaverint, quibus discernerentur, et appellarentur Lingua sacra et Theologica: Adeoque etiam accuratior, et plenior Chronologia Regum Aegyptiorum constitui poterit, positis Diis in *Ellipsibus*, ac si ipsa Regum nomina fuissent in eis collocata: Utque modo distinguitur *Sethos*, *Ramesses*, *Amenophis*, ipsissimo pacto poterit distingui Filius Solis, a filio Ammonis, a Filio Hori, quisque peculiari suo *Stemmate*, quisque peculiari *Emblemate Dei*, et Patris, et Protectoris, ac Tutelae suae.

CAPUT VII.

Tentantur Ellipses Hieroglyphicae Obelisci Flaminii.

ART. I.

Ellipsis Apiaria Obelisci Flaminii, qua insunt: 1. Circulus. 2. Baculus rectus Sciacalicephalus. 3. Protome Leontocephala Crucem ansatam genibus, Gladium Capiti adpositum gerens. 4. Circulus alter. 5. Siphon angulosus. 6. Hydroschema: potest iure haberi Emblema Heliacum, Stemma Solis Aegyptii.

1. *Circulus* enim vel *Globus* haberi potest ut Cyrioschema ipsius *Solis*: Et reapse *Circulo Solem* significatum a Hierogrammatibus Aegyptiis testis est Clemens Alexandrinus Strom. V. p.556. et *Circulo Solem* et *Solis* productum *Diem* et lucem in *Tabula Rosettana Hieroglyphica* passim indicari nos in *Tentamine* nostro saepius monuimus.

2. *Caput Sciacalis* sive Quadrupedis inter Lupum et Canem medii est ריש RISC שחל SCCL. Atqui שר SCR *dominus* Rex est temura ריש RISC, et שכל SCKL homiophonon שחל SCCL est *intelligentia*, prudentia; et *Solem* non modo et prudentissimum et intelligentissimum, et παντα εισοραν, και παντα επακουειν. Veteres putarunt, sed ab eo maxime *mentem*, *prudentiam*, νουν hominibus tradi, ut ex Plutarcho de Facie in Orbe Lunae Oper. II. pag.943. ex Vettio Valente apud *Selden. de Diis Syriae* pag.18. ex Iuliano Caesare *Orat.* IV. *ad Solem*, aliisque pluribus constat, sunt arbitrati. Quumque שכל SCKL sit etiam *forma*, *idea*, *figura*, effigies, et per *Lucem* et *Lumen* figurae et formae Corporum per nos cernantur, et spectentur, et *Lux* reapse, quoad nos, fiat et forma et ειδωλον rerum, hinc sermone Theologico ipsam *Lucem* dixerunt שכל SCKL: unde solertissimi Auctores Linguae Graecae, et Latinae fecerunt Temuram λυκης, et *lucis*: Et propterea *Sciacalis*, sive λυκος, nobis *Lupus*, fuit Symbolum plane egregium *Solis*, et *Apollo Lycius*, sive *Lupinus* Graecis fuit celeberrimus: Et *Lupus* non modo Delphis cultus, quidquid de caussa Aelianus de Nat. Anim. X. cap.26. et XII. cap. 40. offerat: Sed maxime a Lycopolitanis Aegyptiis ob *Solem*, ut Macrobius diserte nos docet *Saturn.* I. Cap. 17. p. 238. *Annum quoque vetustissimi Graecorum* λυκαβαντα *appellarunt* τον απο του λυκου, *id est Sole* βαινομενον και μετρουμενον: λυκον *autem Solem vocari etiam Lycopolitana Thebaidos civitas testimonio est, quae pari religione Apollinem, itemque Lupum, hoc est* λυκον *colit in utroque Solem venerans.* Tum *Lupum* Horo chariorem Leone

ipso et sacratiorem esse per arcana Mysteria testatur Synesius de Provident. pag. 115.

3. *Baculus rectus* est מקל MQL, קום QVM: Atqui מלך MLK Rex est temura illius homiophona, et חמה CME *Sol* est homiophonon huius. Et *Sol* quasi proprio nomine valde frequenter dictus est Βασιλευς, αναξ, δεσποτης a Philosophis potissimum, et Tragicis Graecis.

4. *Leonino Capite* recte eumdem *Solem* significari ex Horo-Apolline *Lib. I. num. 7. pag. 33.* Plutarcho *Sympos. IV. Quaest. 5. pag. 670.* Aeliano *De Nat. Anim.* L. V. c. 39. p. 280. Proclo *de Sacrific.*, *et Magia*. Macrobio *Saturn.* Libr. I. Cap. 21. pag. 257. aliisque colligitur. Nec leve est in ipso Nomo Heliopolitano fuisse Urbem *Leontopolim* dictam, dubio procul, quod *Leo* coleretur ut peculiare *Solis* symbolum.

5. Quin *Protomé Leoninâ* descriptâ significari *Solem* genitalem, Deum *Gennaeum*, Patrem et Satorem Rerum, ut Veteres habuisse ex Macrobio *Saturn.* I. Cap. XVII. pag. 238. 239. Iuliano Caesare IV. *Orat. ad Solem*, aliisque pluribus constat, his argumentis sumdemur. Nempe quia *Leonis* formâ colebatur in Templo *Heliopolis* Syriae Deus Γενναιος, genitalis, *Sol* genitor, ut tradit Damascius in *Exc. Photii* pag. 1063. Secundo, quia *Leo rugiens* est לביא LBIA, נהם NEM, et יובל IVBL est *foetus*, partus, et אמן AMN est *nutritius*, qui nutrit, unde Graecorum αμνιον. Tertio *Gladius* פתיח PHTIC sive aperiens, manifestans semina occulta אמן AMN, et quasi dormientia נום NVM. Quarto quia *Crux ansata* est felicissimae generationis Symbolum, Stemma genitale praestantissimum, ut iam pluribus Iablonskius *in Pantheo* Tom. I. p. 282. et II.

p. 111. et 202. observavit, nosque ipsi in *Tabul. Rosett.* Pag. 83. 84. animadvertimus.

6. *Siphon angulosus*, et *Hydroschema* sunt סרק SRQ, פאה PHAE, פאה PHAE, et נהר NER. Atqui *Sol* est חרס CRS, et יפה IPHE, יפע IPHO pulcherrimus, splendidissimus, et נהר NER est ipsa *Lux*. Erat porro *Sol* apud Veteres et nominatim Aegyptios quasi Promuscondus Animarum; ab eo putabant animas tradi, et in eo purgari, et ab eo sive in Mundum supremum et intelligibilem mitti, sive ad Terras iterum demitti, quemadmodum constat, praeter alios plures, ex Porphyrio *de Abst. IV. pag.* 379. Iuliano Caesare *Orat. IV. pag.* 136. 151. 158. etc. ex Ennio *apud Varron. de L. L.* IV. pag. 17. ex Synesio Cyrenensi, qui *Hymn.* III. pag. 319., etsi iam Christianus, haec canit: Και μεγας ἰςωρ » Ἁλιος ἁγνων » Αςρων πρυτανις » Ὁσιων ψυχων » Ἁγιος ταμιας. *Et magnus testis* » *Sol purarum* » *Stellarum moderator* » *Piarum animarum* » *Sanctus custos et dispensator.* Atqui hunc *Solis* characterem, hoc munus alio potiore Symbolo, quam per *Siphonem* significari vix posse arbitror: Eoque magis, si ad ipsa nomina Semitica *Siphonis* attendamus, quorum praecipua haec sunt 1. סרק SRQ, 2. דלו DLV, 3. ניק NIQ, 4 רוק RVQ, 5. בוק BVQ. Quae per homiophona respondentia reddunt hanc sententiam: חרס CRS *Sol*, דלה DLE *haurit*, *adsumit*, דלל DLL *prodit*, *manifestat*, נקה NQE *purgat mundat*, רוח RVC *animas spiritus*, בקא BQA *immortales perennes.*

Quin tenere iure possumus Sacerdotes Aegyptios pro summa sua sollertia hoc Stemmate, quod unum est ex celebratissimis et freqnentissimis, *Solem*, ut ita dicam *Aegyptium*, *Solem* aquis et Nili effu-

sione vitam, et omnia bona Aegyptiis tribuentem voluisse insuper significare, et quasi expingere Nam omnium primum debemus meminisse *Osiridem* fuisse *Solem* Aegyptiis, ut iam pluribus et facile ostendit Iablonskius *in Panth.* Tom I. p. 124. 125. etc. et eumdem fuisse *Nilum*, vel datorem *Nili*, ut Plutarchus *de Isid.* pag. 355. 356. 363. et effectorem inundationis *Sympos.* VIII. Qu 8. p. 729. aliique plures tradiderunt: nosque in *Theorematibus Hierographicis* animadvertimus Nomen *Nili* שיחור SCICVR fuisse nomen proprium et arcanum *Osiridis*, quidquid contra Iablonskius obiecerit *in Panth. Tom.* II. *pag.* 148. 149. Tum *Serapidem* eumdem cum *Osiride* et *Sole* iure appellatum fuisse *Niloticum* ab eodem Iablonskio, et plurima auctoritate demonstratum in *Panth.* II. pag. 234. 235.

Tum debemus animadvertere, quod siquis vellet *Stemma* Niliacie inundationis effingere his potissimum Symbolis uteretur: Nempe 1. *Hydroschemate* יאר IAR *fluvio*, quo nomine quasi per excellentiam ab Hebraeis, et a Coptitis *Nilus* appellatur; vel נחל NCL, נהל NEL, quibus *fluvius perfectus*, ipse *Nilus* etiam sono designatur. 2. *Siphone*, quo ipsi *canales*, et rivi, quibus *Nilus* distinguitur, et per quos quasi *Siphone* aquas effundit in agros, et sine quibus Aegyptus non esset, clarissime significentur. 3. *Globo*, *Circulo* גלה GLE, גלגל GLGL, quia גל GL est *aqua*, quae volvitur, scaturigo. 4. *Protome Leonina*, quia sub *Leonis* signo maxima *Nili* inundatio habetur, quod iam Plutarchus *Sympos.* IV. qu. 5. p. 670. Scholiastes Arati *in Phaenom.* p. 22. Horus-Apollo *Hierogl. I. cap. 21.* pag 36. 38. aliique animadverterunt. Et constat auctoritate Scriptorum, et testimonio Monumentorum tum apud

*

Aegyptios, tum apud alias Gentes aquarum scaturigines et effusiones maxime ex capitibus et rictibus *Leoninis* effictas, et efformatas, quemadmodum pluribus observarunt Pavvius ad Horum-Apollinem pag. 313. Cuperus *in Harpocrat.* Pag. 48. 49. Iablonskius in *Pantheo* lib. II. cap. 4. pag. 218. Avellinius in Act. Acad. Pontan. II. p. 241. 245. Et plane iure, ut iam in Horum nostrum Pag. 15. 16. adnotavimus, utque hic insuper animadvertere aequum est. Nam *Leonis* nomina Semitica praecipua sunt haec: 1. אסד ASD: 2. לביא LBIA: 3. אריה ARIE: 4. שחל SCCL: 5. שבל SCBL. Atqui nomina his homiophona sunt omnia propria fluviorum et inundationis: 1. אשד ASCD est *effusio*, inundatio: 2. יובל IVBL est *rivus*, aquaeductus: 3. יאר IAR est *fluvius*, flumen: 4. חלל CLL, ש-חלל SC-CLL intensive *lavare, exundare*, 5. שבל SCBL ipse *fluxus*, aquae multae, exundatio. Tum *Leo rugiens* sive rictu aperto est Leo שאג SCAG, et נהם NEM, et שגה SCGE est *crescere* excrescere, inundare, et נמה NME cuius temura est *mano manas* Latinorum, est etiam *crescere*, excrescere, et מנה MNE est dare distribuere: Quin quum *Gladius* sit סיף SIPH, et שפע SCPHO *inundatio*, *Gladius* פתיח PHTIC, et פתח PHTC *aperire*, ostendere, *Gladius* חרב CRB, et נחר BCR magna *aquarum collectio*, imponetur etiam *Leonis* capiti *Gladius*, quia haec omnia significando *Nilo* excrescenti et *inundanti* mire opportuna 5. Uteretur porro *Stemmatis* conditor *Capite Sciacalis* vel *Canis*, ut indicetur *Canicula*, *Sirius*, celeberrimum Aegyptiis Sidus, quo oriente initium anni sui, quo natalem Mundi diem constituebant, ut pluribus animadvertit Iablonskius in *Panth.* II. pag. 36.

40. etc., quo surgente ipsa *Nili* exoptatissima *inundatio* incipit, circa Solstitium aestivum, ut omnes norunt. Albius Tibullus I. *Eleg.* 7. *vel* 8. v. 21:

Qualis et arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundat aqua.

Lucanus Pharsal. Lib. X. v. 225.

...... *Nilus neque suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem.

Claudianus *Epigr. de Nilo* v. 33.

Cumque die Titana Canis flagrantior armat....
Nilo bruma venit etc.

Tum *Baculus rectus Sciacalicephalus* est מקל MQL, קום QVM, שחל SCCL, ראש RASC, quae sunt his homophona מלך MLK *Rex*, חמה CME *Sol*, שלח SCLC *mittit*, שעיר SCOIR vel שערי, SCORI, *Sirium* stellam *Canis*. Obiicies: Sidus *Canis* minime hoc nomine significatum Aegyptiis, sed omnino *Sothis* sive *Isidis* nomine. Atqui respondeo aeque certum habendum esse ipsos Aegyptios in Sidere *Sirii*, non modo in Capite Stellam *Isidis*, sed etiam in *Ore* Stellam *Canis* constituisse et agnovisse. Nam si Eratosthenes Astronomus Alexandrinus in *Cataster.* Cap. 33. et Hyginus in *Astron. Poetic.* Lib. II. cap. 36. in Sidere *Sirii* utramque *Stellam* agnoverunt, omnino id non ex Graecorum Astronomia, sed ex Aegyptia facere potuerunt. Quin *Canis* Aegyptiis sive *Anubis* erat Deus plane synthronos tum *Isidis*, tum *Osiridis*, et eorum φρουρος, et σωματοφυλαξ, ut eum Diodorus, aliique nominant, adeoque est ex intima natura Aegyptiae Theologiae *Canem* addi *Isidi* in Sidere *Sirii*, et propterea in *Stemmate* Aegyptio *Niliacae* inundationis potuit recte adhiberi Caput Sciacalis vel *Canis* perpetui comitis

et custodis Dei *Osiridis*, Dei *Solis*, Dei *Serapidis* Niliaci. Atqui, ut dicta resumamus, haec ipsa sunt Symbola, haec ipsa Schemata, quae in *Ellipsi Apiaria Obelisci Flaminii* cernuntur. Ergo iure tenere possumus eo *Solem* Deum datorem omnium bonorum in Nili exundatione significari. Quam *Niliacam inundationem* si vere et proprie factam a *Sole* potuit tenere et pluribus suadere Herodotus praestantissimi Vir ingenii, et excultissimi Libr. II. cap. 26. 27.28. Pag. 97. 98. haud magnopere profecto errabimus, si et hanc persuasionem Sacerdotibus Aegyptiis tribuemus, qui haud plus Herodoto sapere in Physicis potuerunt, et quibus, ut innuimus, Osiris fuit Deus Solaris et Niliacus, et unde Serapis aeque fuit Deus Niliacus et Solaris.

ART. II.

Ellipsis Apiaria Obelisci Flaminii, qua insunt 1. Circulus Solaris, 2. Protome Leontocephala rugiens, Gladium capite, Crucem ansatam genibus impo itam gerens, 3. et Murus pinnatus potest recte Deo Ammoni, sive ipsi Soli oraculari, veridico, φιλαλήθῃ attribui.

1. Hanc *Ellipsim* posse haberi ut aliud *Stemma Heliacum*, posse tribui Deo *Soli* ex *Circulo* Solari, et *Protome Leontocephala*, de quibus modo diximus, iam nunc patet. Tum *Murus pinnatus* Deo *Soli* aeque recte tribui potest. Nam *Murus* est חומה CVME, *Sol* est חמה CME, *Murus* est קיר QIR, *Sol* est חור CVR calefaciens et candidus. Tum *Pinnae Murorum* sunt שראריף SCRARIPH, vox homiophona שר-עריף-ים SCR-ORIPH-IM, sive *Regi Coelorum*, qui est *Sol*.

2. Haec autem *Ellipsis* videtur peculiariter destinata ad significandum Deum *Solem veridicum*, φιλαλήθην, *Ammonem*, אמן AMN. Nam *Leo rugiens* est *Leo* נהם NEM. et אמן AMN temura homiophona est *verax*, veridicus. *Murus pinnatus* Arcis vel Castri est מנע MNO temura secunda homiophona אמן AMN *veridici*. Tum *Murus* est שור SCVR, שרה SCRE, *Veritas*, *veracitas* שררא SCRRA. *Pinnae* sunt שראריף SCRARIPH, et שרא SCRA *Veritas*, et רפה RPHE est instaurans, adiuvans, utilis, commoda. Potest igitur iure huiusmodi *Ellipsis* tribui Deo *Soli*, Ammoni, veridico.

3. Et propterea tribui etiam potest ipsi Deo Libyco *Ammoni*, ipsi *Ammoni* Oraculari: eoque etiam ex Capite, quod in *Leone* לביא LBIA est *Libya Ammonis* indicata: et in *Gladio* חרב CRB aestuatio et calor Libycus significatur, et in eodem Gladio שכין SCKIN est indicata שכינה SCKINE Dei sive Aedicula et Sacrarium, quo solemniter ducebatur in Pompa. Quam apte porro *Crux ansata Deo Libyco* conveniat, qui attenderit ad אמן AMN *nutrire* alere, et ad מנה MNE, et נמה NME, de quibus satius dicemus ad *Theoremata Hieroglyphica*, aperte perspiciet.

4. Quod profecto eo maiore cum fiducia tenebimus, si meminerimus *Ammonem Libycum* habitum etiam pro *Sole*: Haec enim Macrobius *Saturn.* I. *Cap.* 21. *pag.* 257. *Ideo et Ammonem Deum Solem occidentem Libyes existimant.* Et Diodorus Siculus *Libr.* I. *Cap.* 25. *pag.* 29. Wess. *Osiridem* sive *Solem* facit *Ammonem*.

A r t. III.

Ellipsis Anserina Obelisci Flaminii, qua insunt 1. Circulus Solaris, 2. Protome Hieracocephala, 3. Crucem ansatam genibus impositam habens, 4. Protome Dei Hori, 5. Feretrum, 6. Rami curvi, 7. Siphon, 8. Surculus Palmae: aeque potest et debet haberi ut Stemma Heliacum, ut Emblema Dei Solis.

1. Iure tribui Deo *Soli Circulum Solarem* 2. *Protomen Hieracocephalam* , 3. *et Crucem Ansatam* modo vidimus, et paulo post iterum videbimus.

4. *Protomen Hori*, *barbula*, *Cidari*, *baculo Cucuphocephalo* insignem recte adhiberi in *Stemmate Solari* nemo negare poterit, qui sciverit *Horum* hunc vel habitum fuisse ipsum *Solem* , ut multa Veterum auctoritate contendit Iablonskius in *Panth Tom.* I. *pag.* 206. 207. 215. 218. vel filium *Osiridis*, sive *Solis* ipsius.

5. *Feretrum* porro dicitur קדם QDS, et indicat קדש QDSC *Sanctum Sacrum*, חרם CRS *Solem*, ut non raro in ipsis Inscriptionibus Latinis appellatus est *Sol.*

6. *Rami* illi *incurvi*, si audiendus est Kircherus in Obel. Pamphil. P. 363. 364. et Oedip. III. 228. 229 , sunt rami Perseae, quibus totus annus Aegyptius cum singulis mensibus significatur, et qui propterea rectissime *Soli* אן AN vel און AVN convenirent, qui facit אואן AVAN annum et tempora. Ceterum *Ramos* istos ad *Solis* ortum, et ad generationem a *Sole* productam posse referri adnotavimus ad *Tab. Rosettan.* Lin. X. p. 83.

7. *Siphon* est סרק SRQ, *Sol* חרס CRS, *Siphon*

est בוק BVQ, בקא BQA est *aeternus* immortalis. *Sole* autem indicari ab Aegyptiis *aevum* et aeternitatem patet ex *Hierogl. Hori-Apollinis P.* 1. et 2., et *Solem* dictum αιωνιον ομμα notum est.

8. *Surculus Palmae* est אמיר AMIR, תמר TMR. Atqui אמיר AMIR est *Princeps*, Rex, et תמיד TMID est *perennis* aeternus: Et *Sol* secundum veterum Theologiam erat Αςρων βασιλευς, ηδ' αθανατον πυρ: Apud Euseb. *Praep. Evang. Libr.* III. *Cap.* 15. p. 125. Essent alia plura in hac *Ellipsi* explicanda, et longe graviora, sed quoniam spectant ad Theologiam Mysticam et arcanam Gentis attingi hîc non possunt. Quam autem absurdum sit in ista profunda *Ellipsi* quaerere vacuam et inanem vocem *Ramessis* ostendimus paulo supra Cap.VII. Art.5. pag. 116. 117.

A R T. IV.

Ellipsis Anserina, quae est in Hyposticho Obelisci Flaminii, et qua continentur: 1. *Quadrangulum,* 2. *Semicirculus, vel Circulus,* 3. *Catenula,* 4. *Aratrum,* 5. *Protome Leontocephala,* 6. *et duo Gladii: tribuenda est Deo Phtha Demiurgo Aegyptiorum.*

Nam haec ipsa Symbola, vel plane similia et homiodynamica sunt in *Ellipsibus Hieroglyphicis* Tabulae Rosettanae, in quibus agnoscendum esse *Stemma* Dei *Phtha* Demiurgi Aegyptiorum ad *Tabulam* eamdem ostendimus. pag. 11. 12. 17. 20. etc. 149. 150.

Art. V.

Protome contusa et excisa in Ellipsi Anserina medii Stichi Obelisci Flaminii facta videtur ex Capite informi Avis, cuius Capiti duo dentes inversi infixi fuerint.

Hanc enim formam potui deprehendere, et mihi constituere ex eius reliquiis in *Obelisco Sallustio*, qui est quasi Apographon *Flaminii*, ex Ectypis collectis a Iulio Sanquintino in *Descriz. del Colosso di Turino Tab.* II. ex aliis quae occurrunt in I. Excerpt. Hieroglyph. Burtoni Tab. IX. et XVII. Sanquintinus quidem loc. cit. pag. 10. 22. 23. Protomae Caput aquilinum attribuit, et infigit duas pennas, Champollionus Junior *Lett.* II. *au Duc de Blacas* Pag. 22. 23. dat Caput Accipitris: uterque temere, et Ectypis aperte adversantibus.

Art. VI.

Protome excisa in Obelisco Flaminio et aliis similibus Monumentis tribuenda videtur eidem Deo et Demiurgo Phtha.

1. Primo, quia omnia Symbola, quae comitari solent hanc *Protomen* in *Obelisco Flaminio, Sallustio*, et etiam in *Colosso Taurinensi* sunt vel eadem vel homiodynamica Symbolis *Ellipsis Rosettanae*, quam tribuendam esse Deo *Phtha* iam diximus. Et profecto *Hydroschema*, quod conspicitur in *Ellipsi Obelisci Flaminii* esse potest homiodynamicum *Siphoni*, vel *Leoni Tabulae* Rosettanae, et potest indicare Primigenias illas *Aquas Chaoticas*, de quibus in omnibus veteribus *Co-*

smogoniis sermo est. Si porro in *Ellipsi Colossi* Taurinensis additur *Feretrum* קדש QDSC vel קדם QDS, factum quia homiophonon חרש CRSC est *conditor*, *opifex*, *Demiurgus*.

2. Secundo, quia *Caput Avis* recte indicat incubationem illam Aquarum primigeniarum, quam *Spiritus Demiurgicus* effecit, et quam aliae Gentes *Alis* Zephyri Protogoni, *Alis* Amoris Uranii, *Alis* Veneris Archaeae, *Alis* Phanetis, sive Bacchi Primi, et ipsa *Avium* formâ significarunt, ut nos ipsi in secunda nostra *Interpretatione Picturae Pompeianae*, cuius nutus editus est in II. Vol. Act. Acad. Herculanensis, demonstravimus.

3. Tertio, quia *Caput informe*, et adhuc quasi indefinitum unice *Demiurgo* Phtha congruit, qui natura sua originali formâ caret, et praeficitur Mundo adhuc *incondito* et *informi*. Ovidius Naso ex viris longe doctissimis ita *Ianum* Italicum, quem simillimum Deo *Phtha* Aegyptiorum innuimus ad *Tabulam* Rosettanam Pag. 14., et pluribus ostendimus ad *Theoremata Hierographica*, sic loquentem facit Fastor. I. V. 111. 112.

Tunc ego qui fuerum Globus, et sine imagine Moles
In faciem redii, dignaque membra Deo.

Notumque porro est ex Herodoto lib. II. c. 37. Simulacra Memphitica Dei *Phtha* facta fuisse non turpia, non deformia, ut ego teneo, sed informia, et quasi forma definita carentia.

4. Quarto, quia *Deus* est שנן SCNN, *secundus* duplex שני SCNI, et conversus *inversus* שנה SCNE. Et vox haec שני SCNI *Secundus* est longe solemnis, nomen penitus constitutum *D o Demiurgo*, Deo conditori: Hic est *Ianus* Latinorum Temura ipsa perfectissima vocis שני SCNI: ut sa-

tius dicemus in *Theorem. Hierographicis*. Hic est *Ianesa* Indorum ipse שני SCNI, ut satius in eodem libro dicetur: Hic est νους δευτερη Chaldaeorum in Oraculis etc. quae est Temura homiophona ipsius שני SCNI.

A r t. VII.

Indicantur caussae ob quas excidi potuit huiusmodi Protome Dei Phtha ex Monumentis Hieroglyphicis.

1. Prima esse potuit consideratio profundior naturae ipsius Dei *Demiurgi*, quem exhibere *informem* et *indefinitum*, quum sit Auctor omnis formae, omnis figurae definitissimae, quum sit dator omnis pulchritudinis, et venustatis, quum omnia per ipsum in clarissimam lucem ex invisibili Chao trahantur, videri potuit novo Pontifici, et aliis Collegiis Sacerdotalibus quasi haereticum et absurdum.

2. Secundo, quia Auctores illius *Protomes* videbantur plane consentire cum Phoenicibus, dubio procul ex Pastorum genere, qui Aegyptum habuerant, qui *Demiurgum Phtha* faciebant deformem, vel informem effingebant: Atqui Arabo-Chusitae, et Mesraitae odisse prorsus debebant quidquid externas Gentes, et potissimum Phoenices et Pastores attingebat.

3. Tertio, quia Ectypa huiusmodi *Protomes* erant adhuc valde pauca, et parum recepta. Nam ego non memini deprehendisse plusquam septem vel octo. Atqui minime congruum erat *Stemmata* Dei praestantissimi fieri et multiplicari plurimum inter se varia et discrepantia.

CAPUT VIII.

Obeliscum Hermapionis esse ipsum Flaminium, non Lateranensem; et versionem habendam esse genuinam ex mutua praecipuorum elementorum comparatione demonstratur.

ART. I.

Textus Hermapionis unius lateris Obelisci sui constat quinque Stichis sive partibus distinctis: Atqui ex omnibus Obeliscis notis et originalibus unus est Flaminius, cui per singula latera sint quinque Stichi sive Columnae Hieroglyphicae.

In Textu Hermapionis legitur: I. ϛιχος πρωτος, 2. ϛιχος δευτερος, 3. ϛιχος τριτος, 4. αλλος ϛιχος δευτερος, et 5. ϛιχος τριτος, ex quibus postremis vocibus valde probabile est excidisse αλλος. Στιχος autem est versus, columna, series, ordo multarum rerum, nempe verborum, schematum, et obiectorum quorumcumque. Atqui in uno et eodem latere *Obelisci Flaminii* sunt *tres Stichi* sive *Columnae Hieroglyphicae* verticales, continuae, et rectae: Tum sub *Sticho* dextero est alius *Stichus* fractus, sive *Columna hieroglyphica* constans quatuor vel quinque partibus minoribus, quae si ponerentur rectae aequarent verticales et rectas, et essent eis similes: Ex parte sinistra est alius *Hypostichus* huiusmodi. Adeo ut singulis Lateribus *Obelisci Flaminii* numerentur *quinque Stichi Hieroglyphici*, quot in suo numerabat Hermapion. Contra vero in duobus *Obeliscis Luq-*

soris, in duobus *Alexandrinis*, in *Lateranensi*, *Karnachensi* sunt tantum *tres*; in reliquis vel duo, ut in *Barberino*; vel unus, ut in *Pamphilio*, *nervio*, *Mahuteo* etc. etc. Verum quidem est in singulis lateribus *Obelisci Sallustii* apud Kircher. Oed. III. p.256. et Zoegam *de Obelis*. Tab.5. etiam *quinque Stichos* sive *Columnas Hieroglyphicas* numerari: Sed palam est *Obeliscum* hunc esse Exemplum et quasi Ectypum satis rude et imperfectum *Obelisci Flaminii*. Ut autem satius pernoscatur, quam accurate Hermapion *Stichos* suos omnino ex *Flaminio Obelisco* ordinaverit, est animadvertendum, in *Obeliscis Stichum* principem, ϛιχον . πρωτον esse *medium*, qui in medio lateris est insculptus. Is enim Stichus *medius* in ipso *Obelisco Flaminio* prolixior est reliquis, usque ad basim scilicet ipsius Obelisci excurrens, et *Dramatibus Hieroglyphicis* appositis sociatus. In *Obelisco Lateranensi* est evidenter honoratior, quum eo insideat *Accipiter mitrephorus*, et schemata etiam et figurae videantur grandiores Schematibus et figuris reliquorum Stichorum. In *Obelisco Karnachi* Stichus medius tantum est totus insculptus, reliqui duo ad mediam tantum *Obelisci* longitudinem adpositi. In *Obelisco Heliopolitano* unus omnino medius est insculptus, eo tamen spatio relicto, quo reliquos duos potuisse etiam apponi videatur. Ergo dubitari non potest quin πρωτος ϛιχος Hermapionis sit *Stichus medius*: Adeoque δευτερος erit *Stichus dexter*, τριτος erit *Stichus sinister*, et αλλος ϛιχος δευτερος erit omnino *Hypostichus dexter* revera *secundus Stichus* a parte dextera, et αλλος ϛιχος τριτος erit *Hypostichus* partis sinistrae. Ergo, ut dicebamus, ex tam perfecta *Stichorum* congruentia et paritate palam

est *Obeliscum* Hermapionis, quem fuisse *Augusteum Circensem* demonstravimus, esse ipsum *Flaminium*, quem eumdem *Augusteum Circensem* superius ostendimus. Pag. 78. 79. 80.

A R T. II.

Απολλων κρατερος *Hermapionis respondet Accipitri Mitrephoro Obelisci Flaminii.*

Accipitrem apud Aegyptios sacrum fuisse Soli, Arueri, Horo constat auctoritate Plutarchi *de Isid. pag.* 371. Aeliani *de Nat. Anim. Libr. VII. Cap.* 19. *Libr. X. cap.* 14. Chaeremonis *apud Eusebium de Praep. Evang. Lib. III. Cap.* 12. *P.* 116. Porphyrii *de Abst.* L. IV. p. 375. Hori-Apollinis *Libr. I.* Num. 6. pag. 9. Num. 8. pag. 13. et aliorum. Apollinem autem Graecorum habitum fuisse sive Aruerim, sive Horum Aegyptiorum testes sunt Herodotus *Libr.* II. *Cap.* 144. Diodorus *Libr.* I. Cap. 25. pag. 50. Wess. Plutarchus *de Isid. p.* 355 356. Pseudo-Oraculum Apollinis apud Eusebium in *Praepar. Evang. Libr. III. C.* 21. pag. 256. *pag.* 125. Macrobius *Libr. I. Saturn. Cap.* 21. *pag.* 256. et evincitur insuper ex Inscriptionibus Graeco-Aegyptiis apud Letronne *Recherches pour servir a l'hist. de l'Egypt.* Pag. 76. 78. 97. etc. Tandem *Apollinem* Graecorum habitum fuisse *Solem* peculiari disquisitione olim evincere conati sunt praeter ceteros Heraclides Ponticus *de Allegor. Homer. Pag.* 416 ad 430. et Macrobius *libr. I. Saturn.* Cap. 17. p. 232. et saeculo XVII. Daniel Huetius collectis pluribus testimoniis Veterum ex plurimis, quae sunt praesto. Vid. *Tom. I.* pag. 423. *des Dissertat. recueil. par Tilladet.* Nosque in *Hieroglyp. scriptis* Sect. III. num. 2.

pag. 51. 52. nonnulla ad rem facientia iam adnotavimus. *Accipiter* igitur *Obelisci Flaminii* potuit rectissime verti Graece ab Hermapione Aπολλων. Et quoniam in Scriptura Hieroglyphica Monoschemata utpote ambigua et aequivoca adhiberi non possunt, ideo *Accipitri* Hieroglyphico addendum fuit aliud Schema determinans; quumque *Cidaris* vel *Mitra* dicatur קסר QSR, et *Sol* sit חרס CRS, *Mitra* עטה OTHE, et עד OD iugis perpetuus, *Mitra* sit כתר KTR, et ipsum כתר KTR sit perennis continuus; Et *Sol* ille sit, qui tempora et annos iugi suo et perenni cursu, ut putatur, peragat, nemo non videt quam recte *Accipiter Mitrephorus* sit *Solis* Symbolum, et quam accurate vertatur Aπολλων, et si mavis Aπολλων κρατερος; quia *Cidaris* et *Mitra* apud omnes Gentes symbolum fuit potestatis, dignitatis, imperii: Etsi haec *Solis* potestas aliis insuper sit symbolis clarius et luculentius exprimenda, ut dicetur paulo post.

A r t. III.

Quater legitur in Textu Hermapionis unius lateris Aπολλων κρατερος, *et quater occurrit in eodem latere Obelisci Flaminii Accipiter Mitrephorus.*

Iste quidem *Accipiter Mitrephorus* non in uno *Obelisco Flaminio* occurrit, sed in aliis pluribus aeque conspicitur, nempe in singulis lateribus utriusque *Obelisci Luqsoris*, et utriusque fortasse *Obelisci Alexandrini*; semel in singulis lateribus *Obelisci Lateranensis*, *Pamphilii*, *Minervii*, *Mahutei*, *Medicei*, *Monticoelii*, *CPolitani*, etc. Sed quater, quoties in nullo alio noto *Obe-*

lisco originali, omnino *quater* occurrit in singulis Lateribus *Obelisci Flaminii*, *ter* in *Stichis* et Columnis rectis, *semel* in *Hypósticho*; quemadmodum *quater* legitur in Textu Hermapionis eiusdem lateris Απολλων κρατερος.

ART. IV.

Refellitur obiectio.

At dices: ex quinque *Stichis* sive Columnis *Hieroglyphicis Obelisci Flaminii* quatuor incipiunt ab *Accipitre Mitrephoro*: Ergo quatuor *Stichi* Hermapionis incipere aeque deberent a vocibus Απολλων κρατερος: Atqui in Textu Hermapionis non quatuor, sed tantum duo *Stichi* ab illis vocibus incipiunt. Ita quidem: Sed vertenda fuerant, Amice, etiam *Dramata Hieroglyphica*, quae sunt in Pyramidio, atque parte Obelisci superiore, et in Basi sive parte inferiore eiusdem Obelisci, et verba ante *Stichum* respondentem erant collocanda. Age igitur, omnium primum vertamus Pyramidion, et quod est caput, et initium *Obelisci*, et primo *Sticho* verba praeponamus: In primo *Sticho* non poterunt ergo statim occurrere Απολλων κρατερος, sed occurrere poterunt post aliquot verba: Atqui ita prorsus occurrunt. Secundus *Stichus Obelisci Flaminii* incipiet a verbis Απολλων κρατερος, quia nil est addendum, et princeps est *Accipiter Mitrephorus*, Atqui ita secundus *Stichus* in Textu Hermapionis legitur. Tertius *Stichus* ob eamdem rationem incipiet a vocibus Απολλων κρατερος, ut in *Obelisco* Hermapionis. At quoniam vertendum est Drama *Basis Obelisci*, et versio addenda est *Hyposti-*

cho, sive αλλῳ ϛιχῳ δευτερῳ: Ita αλλος ϛιχος δευτερος non incipiet a vocibus Απολλων κρατερος, sed habebit eas absoluto *Prosticho*, sive *Dramate Hieroglyphico* in Graeca verba converso. Atqui haec ipsa occurrunt, et eodem modo in *Textu* Hermapionis. Tandem in versione quinti *Stichi Obelisci Flaminii*, quo non adest *Accipiter Mitrephorus*, non occurrent verba Απολλων κρατερος; et profecto non occurrunt in quinto *Sticho Textus* Hermapionis. Ergo versionem Hermapionis non modo spectare certo ad *Obeliscum Flaminium*, et non alium, sed quanta etiam potuit fidelitate et diligentia peractam fuisse, iure tenendum est.

A R T. V.

Κρατερος Απολλων *Hermapionis respondet Rectangulo Hieroglyphico*, *cui insistit Accipiter Mitrephorus*, *et in quo continentur* 1. *Bos*: 2. *Brachium*: 3. *Protome Leontocephala*, *Gladium capite*, *Crucem ansatam genibus impositam gerens*: 4. *Feretrum*, *vel Aratrum*, *vel Anser*, etc.

1. *Bos* enim est אביר ABIR *fortis*, *potens*, κρατερος. *Vitulus* פר PHR, פרתם PHRTM *Vitulus perfectus*, פרתמ־ים PHRTM-IM Magnates, Potentes, Im-perat-ores. Apud Sinas Semate *Bovis* significatur *potens*, ut in *Centur. Sinogramm. Num.* XI. p. 157. animadvertimus, et triplici Semate *Potentiae* significatur *Bos*, ut in eadem *Centur. Num.* XCII. Pag. 202. vidimus.

2. *Brachium*, primum *Ideographice* Potentem et robustum significat, quia apud omnes Gentes *Brachium* est symbolum Potestatis et virium. Tum

Lexeographice, quia *Brachium* est דרע DRO, et אדר ADR homiophona Temura est magnificus, potens, רדה RDE est imperare, dominari, praeesse.

3. *Protomé Leontocephalá* rectissime fortem et κρατερον indicari palam est, nosque ad *Hieroglyphica Scripta* Pag. 11. 12. 13, 14. 61. 62. non pauca de *Leone*, ut Symbolo fortitudinis, et roboris animadvertimus. *Gladius* porro adfixus capiti est חרב CRB, et כביר KBIR est potens praevalidus.

4. *Feretrum* est קדש QDSC, *Aratrum* חרש CRSC, *Anser* כרש KRSC, et חרש CRSC est vehemens, terribilis, asper, ferociens, quod plerumque est fortium et potentium.

5. *Quadrangulum* ipsum est רבע RBO, et אביר ABIR est potens κρατερος.

A R T. VI.

Φιλαληθης Απολλων *Hermapionis fortasse respondet eidem Syngrammati Hieroglyphico.*

1. *Bos* namque est שור SCVR, שריר SCRIR *verax* φιλαληθης, ישר ISCR *aequus* iustus rectus, *Bos* אלף ALPH, Scientia doctrina, quae nulla est absque *Veritate*.

2. *Brachium* דרע DRO, דריה DRIE *Scientia* doctrina, הדר EDR series recta, ordo aequus.

3. *Caput Leonis rugientis* est ריש RISC, אסד ASD, נהם NEM. Atqui ישר ISCR est rectus, שריר SCRIR *verax*, אמן AMN *veridicus*, φιλαληθης.

4. *Feretrum* קדם QDS, sanctus pius, adeoque *verax* קדש QDSC.

A r t. VII.

In Textu Hermapionis unius lateris ter legitur ὃν Ἥλιος φιλεῖ, *et semel* ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος; *et quater omnino in uno et eodem Latere Obelisci Flaminii conspicitur Ellipsis Solaris Apiaria.*

1. Ellipsis descripta Cap. VII. Art. 1. pag. 123. 124. est *Ellipsis Solaris*, ut ibi demonstratum est: Vertenda est ergo *Sol*, Ἥλιος: Symbola autem praefixa nempe *Apis*, *surculus Palmae*, et *duo Semicirculi*, vertenda sunt *dilectus*, *amatus*, ἠγαπημένος, ὃν τις φιλεῖ, ὑπό τινος φιλούμενος, ut ostendimus ad *Tabulam Rosett. Lin.* VI. *Pag.* 10. 11. Ergo *Ellipsis Apiaria Obelisci Flaminii* hîc indicata vertenda est ὃν Ἥλιος φιλεῖ, vel ὑπὸ Ἡλίου φιλούμενος. Et quoniam huiusmodi *Ellipsis quater* in uno et eodem latere conspicitur, *quater* in eodem latere legendum est ὃν Ἥλιος φιλεῖ. Atqui hoc ipsum Lemma et omnino *quater* habet Hermapion in uno et eodem latere *Obelisci* sui. Ergo *Obeliscus Flaminius* est Obeliscus Hermapionis, et multa cum diligentia conversus.

A r t. VIII.

In Textu Hermapionis unius lateris bis legitur ὃν Ἥλιος προέκρινε, *et bis in uno et eodem latere Obelisci Flaminii conspicitur Ellipsis, Solaris descripta* Cap. VII. Art. 1. pag. 123. *cui imposita est Pelvis et duae Normae; quibus illud* προέκρινε *significatur.*

1. *Pelvis* est כפר KPHR purgare, seligere, προκρίνειν. *Pelvis* est כיר KIR, קער QOR; כאר KAR

est eligere, deligere, discernere. *Pelvis* est צלח TZLC, eligere deligere חלץ CLTZ. *Pelvis* est טהרה THERE, טהר THER est purgare, mundare, seligere.

2. *Norma*, sive *Linea* prima est שורה SCVRE, שער SCOR est diiudicare, expendere, aestimare, magnifacere; *Linea* חט CTH, חוט CVTH, חטא CTHA mundare, expiare, idoneum et proprium reddere.

3. *Norma*, *Amussis*, sive *Linea* secunda est אמונה AMVNE, תכן TKN, מ-שור M-SCVR Ideographice, quia per *Normam* diiudicamus, discernimus, seligimus quod aequum, verum, bonum, legitimum.

Quamobrem *Ellipsis Solaris* hoc Syngrammate instructa verti potest et debet ὄν Ἥλιος προέκρινε. Ergo in *Obelisci Flaminii* singulis lateribus bis legetur ὄν Ἥλιος προέκρινε, quemadmodum legitur in uno et eodem latere *Obelisci* Hermapionis. Atqui Ellipses huiusmodi in nullo alio noto *Obelisco* praeter *Flaminium* occurrunt.

A r t. IX.

Pelvis et duae Normae merito adduntur quandoque Ellipsi Apiariae in hoc Obelisco Flaminio, et in aliis Monumentis: et aeque merito in aliis pluribus Monumentis Syngrammati Apiario substituuntur.

1. *Pelvis* enim est דוד DVD, *Apis* דוד DVD, amatus, charus דוד DVD. *Pelvis* est גביע GBIO; Apis גבה GBE, amare diligere עגב OGB, חבב CBB.

2. *Norma* prima est אמונה AMVNE, אמן AMN AMN qui fovetur, alitur, amatur, et נעאם NOAM est gratiosus, amabilis, suavis, carus.

3. *Norma secunda* est חכן TKN, חן CN gratia, favor, amor.

Ergo *Pelvis* et *duae Normae* sunt homiodynamicae Syngrammati *Apiario*, et propterea vel possunt addi ad perspicuitatem augendam, vel possunt pro opportunitate substitui, ut saepe revera fit.

ART. X.

In Textu Hermapionis lateris unius semel occurrit ὃν Αμμων αγαπα, *et semel pariter in eodem latere Obelisci Flaminii conspicitur Ellipsis Apiaria Ammonis.*

1. Ellipsem Apiariam descriptam Cap. VII. Art. 2. pag. 130. 131. posse Deo *Ammoni* tribui ibi ostendimus. Ergo vertenda est ὃν Αμμων φιλει, vel ὃν Αμμων αγαπα. Atqui haec ipsa sunt verba Hermapionis; Utque *semel* in uno latere *Obelisci Flaminii* illa *Ellipsis* conspicitur, ita semel hoc Lemma in eodem Latere *Obelisci* Hermapionis legitur.

ART. XI.

In Textu Hermapionis lateris eiusdem quater legitur Ἡλιου παις, *et quater omnino in uno et eodem latere Obelisci Flaminii conspicitur Ellipsis Solaris Anserina.*

1. *Ansere et Circulo* significatur filius, genitus, qui gignitur, natus, proles. Nam *Circulus* est גלגל GLGL, et גלה GLE est generatio, genesis: *Circulus* est דור DVR, et idem דור DVR genesis, generatio. *Anser* porro dicitur בר BR, אוזא AVZA, et בר BR est filius, genitus, et יצא ITZA homiophonon

אוזא AVZA est etiam filius, natus; ut iam adnotavimus in *Herm. Hierograph. Libr.* II. *Sect.* III. Pag. 192. 193. Adeoque haec Schemata vertenda sunt *Filius* παις. Atqui *Ellipsis*, quam hîc indicamus est *Ellipsis Solaris*, est *Stemma* Dei *Solis*, ut ostendimus Cap. VII. Art. 3. Pag. 132. 133. Ergo Syngramma huiusmodi vertendum est Ἡλιου παις: Et propterea *quater* in eodem latere *Obelisci Flaminii* est legendum Ἡλιου παις, quoties in nullo alio noto *Obelisco* originali legi potest. Atqui Ἡλιου παις omnino *quater* legitur in *Textu* Hermapionis, qui ad unum Obelisci sui latus spectat.

A R T. XII.

In Textu Hermapionis semel legitur Ον Ἡφαιςος ὁ των θεων πατηρ προεκρινε, *et semel in Hyposticho lateris Obelisci Flaminii conspicitur Ellipsis Dei Phtha, sive* Ἡφαιςου του των θεων πατερος.

Ellipsis quae hîc indicatur ea est, quam Demiurgo Aegyptiorum *Phtha*, quem Graeci dicebant Ἡφαιςον, tribuendam esse Cap. VII. Art. 4. pag. 133. demonstravimus. Symbola autem *Ellipsi* adiecta sunt 1. *Circulus.* 2. *Anser.* 3. *Pelvis.* 4. *Semicirculus.* 5. *et tria Quadrangula:* quae recte verti possunt προεκρινε. Nam 1. *Circulus* est דור DVR, תור TVR est explorare, inquirere, lustrare, quod facit, qui seligit. 2. *Anser* est בר BR, אוז AVZ: Atqui בר BR ipsum est purgare, expurgare, deligere, et יעז IOZ homiophonon אוז AVZ est separare, discernere, et יעץ IOTZ decernere, deliberare, iudicare. 3. *Pelvis*, ut dictum est, supra Pag. 144. 145. est כפר KPHR, כיר KIR, צלח TZLC, טהרה THERE, quibus potest recte exprimi

προκρινειν. 4. *Semicirculus* est יעז IZO medius, דור DVR circulus, quae sunt homiophona יעז IOZ, תור TVR, et טהר THER. 5. *Tria Quadrangula* sunt tria רבע RBO, tria בר BR, terque indicatur purgare, expurgare, seligere.

ART. XIII.

Valde probabile est Ηρων, Ηρωνος *Hermapionis esse ipsum Demiurgum Phtha, ipsum* Ἡφαιστον *Aegyptiorum.*

1. Primo, quia *Apollo* sive *Sol* sive *Osiris* dicitur bis in *Textu* Hermapionis υιος Ηρωνος. Atqui unus omnino *Phtha* dicebatur προπατωρ των θεων, ut testatur Pseudo-Callisthenes apud Fabricium *Biblioth. Graec.* Tom. XIV. pag. 149. eo ipso modo, quo *Phtha* Latinorum sive *Ianus*, dicebatur et *Propator*, et ipsum *Deorum principium:* ut constat, praeter alia plura testimonia, ex Carminibus Septimii Sereni, quorum aliquot versiculos servavit Terentianus Maurus in *Libello de Metris.* Quin certum est ex ipso Manethone, et Auctore veteris Chronici Aegyptii *apud Syncellum* pag. 15. et 40. *Edit. Venet.*, ex Cicerone *de Nat. Deor. III. cap. 21.*, ex Arnobio *Libr. IV. adversus Gentes* p. 135. *Solem* vel *Apollinem* habitum fuisse filium *Vulcani*, Ἡφαιστου, *Phtha* Aegyptii. Ergo Ηρων Ηρωνος Hermapionis habendus omnino est *Phtha* et Ἡφαιστος Aegyptiorum.

2. Secundo, quia vox Ηρω videtur facta ab הרהר ERER cogitare, meditari, excogitare, quod necessarium et proprium *Demiurgi*, *Opificis* omnium. Tum הרה ERE, הורה EVRE est genitor et genitrix, concipere faciens et gravida, gene-

rans et pariens : Quae vel uni prorsus *Demiurgo Phtha*, vel ipsi maxime congruunt, utpote qui habebatur αρσενοϑηλυς, ut diserte tradit Horus *Hieroglyph.* Libr. I. Num. 12. Pag. 25. vel in Edit. nostra num. 8. pag. 8. et propterea essent sacri ***Scarabaeus*** essentialiter et perpetuo masculus, et ***Vultur*** essentialiter et perpetuo faemina, ut ex Sacerdotum Aegyptiorum doctrina tradiderunt idem Horus lib. I. Num. 10. et 11. pag. 17. 19. 25. Plutarchus de Isid pag. 355. et in Quaest. Romanis Pag. 286. Aelianus de Nat. Anim. lib. II. cap. 45. Unde profecto ortae illae dictiones Pseudo-Orphei apud Eusebium in Praep. Evang. lib. III. Cap. 9. pag. 100. Ζευς αρσην, Ζευς νυμφη. Synesii Hymn. II. Pag. 317. Συ πατηρ, συ δ' εσσι ματηρ » Συ δ' αρρην, συ δε ϑηλυς. Vid. et III. pag. 322. et illa Iulii Firmici Praef. ad libr. V. Mathes : *Tu omnino Pater pariter ac Mater.* Porro Ηρωνος est הרה ERE, אנש ANSC, gignens homines, הרה ERE, שנה SCNE excogitans, meditans, instituens annos, tempora, שנה SCNE mutationes et conversiones Rerum; quibus omnibus praefectum fuisse *Phtha* sive Ἡφαιςον Aegyptiorum ex intima similitudine *Iani* Romani, et *Ianesae* Malabarici dubitari non potest.

A r t. XIV.

Probabile est nomen* Ηρωνος *tributum fuisse Protomae illi haereticae et excisae in Obelisco Flaminio, et aliis Monumentis Hieroglyphicis.

1. Primo, quia ostendimus Cap. VII. Art. 6. P. 134. 135. *Protomen* illam esse omnino tribuendam Demiurgo *Phtha.* Atqui modo probavimus Demiurgo *Phtha* fuisse nomen Ηρωνος. Ergo pecu-

liare nomen Dei *Phtha* in illa *Protome* esse debuit Ηρων, Ηρωνος.

2. Secundo, quia in illa *Protome* revera legitur bis Temurice Ηρωνος. Nam ראה DAE est volare, et potest propterea ea voce indicari Avis, volucer, Homo est אנש ANSC. Homo cum capite Volucris potest agnosci in אנש ANSC, ראה DAE, quae homiophona Ηρωνος. *Deus* est שן SON, שני SCNI, רעה ROE רע RO coniunctus socius. Atqui שני-רע SCNI-RO sunt Temura Homiophona Ηρωνος. Quod si Caput illud *Avis* fieret propius generi avium, quae dicuntur ראה RAE, haberetur alia Temura homiophona Ηρωνος.

A r t. XV.

Tenere iure possumus υιον Ηρωνος Hermapionis respondere Ellipsi Anserinae, ex qua excisa fuit Protome.

1. Nam si huiusmodi *Ellipsis* tribuenda est Deo *Phtha*, ut ostendimus Cap. VII. Art. 6. pag. 135. tribuenda adeo erit *Heroni*, qui est *Phtha*. Atqui Symbola adiecta vertenda sunt *filius natus*, υιος, ut diximus supra Art. 11. Pag. 146. 147. Ergo in huiusmodi *Ellipsi* agnosci potest et debet υιος Ηρωνος Hermapionis.

2. Neque obstat, quod haec *Ellipsis* sit remotior ab *Accipitre Mitrephoro*, quo significatur Απολλων κρατερος, qui dicitur statim υιος Ηρωνος: Nam *Apollo* et *Sol* est etiam significatus a Megaloschemate basis Obelisci erecto, et saepe Hieracocephalo, a quo *Ellipsis* illa non est adeo remota. Tum *Phtha* sive *Hero* Deorum Pater est etiam Pater Hominum, et adeo Pater Regis *Ramestis*, qui est etiam *Filius Solis*. Auctor igitur

Scripturae Hieroglyphicae prudentissime potuit eo in loco ponere *Ellipsin* Dei *Phtha*, quo tum ad *Solem*, tum ad *Ramesten* filium potuisset referri. Contra Hermapion ne versionem faceret ambiguam, vel multa paraphrasi impeditam, *Heronem* potuit ad *Apollinem* trahere, et prudenter coniungere.

3. Neque iterum obstat, quod υιος Ηρωνος legatur bis in eodem latere Obelisci Hermapionis, semel contra occurrat evidenter *Ellipsis* cum *Protome* excisa in uno et eodem latere *Obelisci Flaminii*. Nam certum est tum in summitate eius, tum in *Hypostichis* esse alias *Ellipses* Dei *Phtha*, sed eae in Ectypis Kircheri, quae adhuc sunt ceteris accuratiora, sunt confusae et obscurae. Adeo ut fieri recte potuerit, ut vel excisio non esset ibi facta, vel non diligenter notata et descripta. Tum etiamsi detur illas *Ellipses* esse prorsus similes illis, quas descripsimus Cap. VII. Art. 4. Pag. 133. et adeo loco *Protomes* excisae esse *Protomen Leontocephalam* animadvertendum est et in hac posse legi Ηρωνος. Nam Homo est אנש ANSO, et Leo אריה ARIE, quae sunt homiophona Ηρωνος.

Art. XVI.

In Obelisco Hermapionis assignari non potuit peculiaris Ellipsis Αρει *sive Marti, qui ter in uno et eodem latere nominatur. Et propterea haud obesse, ne Obeliscus Hermapionis habeatur Flaminius, quod in isto Ellipses propriae et peculiares* Αρει *sive Marti non occurrant.*

1. Primo, quia datis etiam Marti peculiaribus suis *Ellipsibus* numerus *Ellipsium* evaderet in-

gens, et intrinsece improbabilis. In uno et eodem latere sunt collocandae decem *Ellipses Solares*, una *Ammonis*, tres Dei *Phtha*, vel *Heronis*, nempe quatuordecim, quot revera numerantur in singulis ex tribus lateribus *Obelisci Flaminii*; in quarto enim sunt aliquae anomaliae fortasse ex pravitate Ectyporum natae. Si adderentur aliae *tres*, numerus fieret decem et septem: Atqui numerus huiusmodi in nullo prorsus Obelisco noto occurrit, et est intrinsece improbabilis.

2. Secundo, quia Hermapion scribit: *αλκιμος Αρης βασιλευς: Αρης αλκιμος εδωρησατο: δια τον Αρεα:* Atqui *Ellipses* similes illis quas novimus in Monumentis huiusmodi vertendae erant *υιος Αρεως: Αρεως παις: ὁν Αρης φιλει: ὁν Αρης προεκρινε* etc.

3. Tertio, quia aliquis magnus, solemnis, receptus Deus Αρης apud Aegyptios numquam fuit; et propterea nulla necessitas esse potuit, ut peculiaribus *Stemmatibus*, propriis *Emblematibus* insigniretur. Αρης *Mars* Herodoti Lib.II. C.63.p112. et Vettii Valentis apud Seldenum *de Diis Syris* Syntag. I. Cap. 7. p. 186. est potius divinitas malefica, et certe non bona. Αρης Mars Hori-Apollinis *Lib.* I. 8. *pag.* 12. videtur ipse *Sol*, quia utrique sacer ἱεραξ *Accipiter* ponitur: et qui animadvertit *Accipitris* nomen esse ראה RAE, et certe a ראה RAE *cernere intueri* desumtum, et Apollinem ab Hermapione dici constanter κρατερον, facile concedet Αρεα Hermapionis esse ipsum *Solem*, et *Apollinem fortem*. Et propterea quum extra *Ellipses* Obelisci Flaminii ipsa *Protome Hieracocephala* cum *Globo* vel *circulo* et *Cruce ansata* saepe occurrat, probabile est hoc ipso *Hieroglyphico Syngrammate* significari Αρεα sive *Martem* Hermapionis. Nam si nos superius pluribus

conati sumus demonstrare *Nomina*, et *Stemmata* Deorum esse in *Ellipsibus Hieroglyphicis* inveniendа, numquam tamen diximus, vel dicere voluimus Symbola et *Hieroglyphica Deorum* numquam extra *Ellipses* posse inveniri. Quamobrem quum Symbola et Hieroglyphica Deorum etiam extra *Ellipses* inveniantur, quod *Sacer Scarabaeus*, et *Accipiter Mitrephorus* etiam Tironibus noti evincunt; et plures *Protomae* divinae sive *Hieracocephalae*, sive *Leontocephalae*, sive alio modo extra *Ellipses Hieroglyphicas Obelisci Flaminii* cernantur, et quae Aρει bono, sive *Soli* possint rectissime tribui; et alia ex parte dubitari nequeat, quin Hermapionis verba spectent *Hieroglyphica* extra *Ellipses* collocata, quod paulo supra indicavimus Pag. 152. palam est non modò nullam esse contrarietatem inter *Textum* Hermapionis et *Schemata* Hieroglyphica *Obelisci Flaminii*, sed intimum prorsus et plenum consensum.

CAPUT IX.

De Polyschemate Hieroglyphico Obelisci Flaminii, et aliorum etiam Obeliscorum, quod fit ex 1. *Oculo*, 2. *Hydroschemate*, 3. *Ceraste*, *vel Vipera.*

Art. I.

Polyschema Hieroglyphicum factum ex 1. *Oculo*, 2. *Hydroschemate*, 3. *Et Ceraste*, *vel Vipera: verti potest Rex*, *Imperans*, Βασιλευς.

1. *Oculus* enim Ideographice notat Inspectorem et Custodem, et adeo *Regem*, et Principem. Tum

Oculus, *cernere* est שור SCVR, שר SCR Princeps, Rex; *Oculus*, *videre* ראה RAE, *Rex* רעה ROE. *Oculus* נטר NTHR, נזר NZR Rex.

2. *Hydroschema* est סוך SVK, נסיך NSIK est Rex, princeps. *Fluere effluere* רדה RDE, et ipsum dominari, imperare, praeesse. *Fluere, effluere* רוה RVE, רעה ROE Rex. Vid. *Tabulam Rosett.* Pag. 57. 59. 73.

3. *Cerastes* שף SCPH, שרף SCRPH qui eminet, praestat, sublimis est, ut Rex.

A R T. II.

Pharao Aegyptiorum potest recte inveniri in eodem Polyschemate Hieroglyphico.

1. Primo, quia vis et potestas vocis *Pharaonis*, ut animadvertimus in *Hermen. Hierograph. Libr.*III. *Sect.* I. *P.*309.310. est *Regis* et summi imperantis. Nec obstat quod in Bibliis addatur saepe vox מלך MLK: quia vox *Pharao* sumebatur absolute et substantive, quasi verum nomen proprium: et quomodo non absurde Latini dixerunt *Imperator Augustus*, *Imperator Caesar* ita nec absurde dici potuit *Pharao Rex*; eoque maxime, quod addatur מצרים MTZRIM, sive *Aegyptiorum.*

2. Secundo, quia פרעה PHROE *Pharao* est homiophonon 1. אפעא APHOA *Viperae*, et ראה RAE *oculo.* 2. אפעא APHOA *Viperae*, et רוה RVE *Hydroschemati.*

3. Tertio, quia respondet Temurae homiophonae רעף ROPH *stillare distillare*, quod notat *Hydroschema.*

A r t. III.

In eodem Polyschemate potest inveniri Chus et Mesr.

1. *Oculus* est שכה scke *videre cernere*; Temura homiophona כוש kvsc Chus. *Hydroschema* est שקה scqe *irrigare*, potare, temura homiophona כוש kvsc Chus. *Serpens* est חוש cvsc, כוש kvsc Chus, Aethiopia.

2. *Oculus* ראה rae, מ-ראה m-rae, *Hydroschema* יצא itza, מ-יצא m-itza; si haec coniunguntur habebimus homiophonon מצר mtzr Mesr Aegyptus. *Hydroschema* זרם zrm *fundere effluere* temura homiophona מצר mtzr. *Serpens, reptile* רמש rmsc, temura homiophona מצר mtzr.

A r t. IV.

In eodem Polyschemate Hieroglyphico legi potest Ramestes et Ramesses.

1. *Oculus* est ראה rae, מ-ראה m-rae. *Hydroschema* שתה scte, vel מ-שתה m-scte. Si copulamus habebimus duplex homiophonon *Ramesti.* Tum *Serpens* Reptile est רמש rmsc, *Hydroschema* שתה scte: Si voces coniungimus habebimus iterum *Rameste*, vel plenius *Ramestes.*

2. *Oculus* est ראה rae, *Hydroschema* משה msce, utraque coniuncta sunt homiophona *Ramessi. Oculus* est שור scvr, *Hydroschema* מא ma, utraque Temura homiophona *Ramessi*, et si iterum legimus משה msce erit plenior *Ramesses. Serpens* reptile est רמש rmsc, si addi-

mus שרע scvo *Hydroschema*, habebimus plenius *Ramesses.*

A R T. V.

Etiam in Obelisco Sallustio, Lateranensi, utroque Luqsoris, Cayrensi, Alexandrino idem nomen Pharaonis Ramessis Regis Chus et Mesr est agnoscendum.

Nam in his omnibus *Obeliscis* idem Polyschema, idem *Stemma Pharaonicum* occurrit, et minime dubitare fas est, quin eadem vi et potestate adhibeatur: Eoque magis, quod omnes hi *Obelisci* plurima Symbola et Schemata, et Polygrammata vel eadem, vel similia, vel homiodynamica habeant. Idem *Polyschema* conspicitur in fragmento *Obelisci* ad Collegium Iesuitarum Romae auctum *Semicirculo*, ut clarius significaretur *Mesr*, sive Aegyptus, ut dicetur paulo post. Vid. Kircherum Oed. III. pag. 383.

A R T. VI.

Idem Pharao Ramesses agnoscendus est in Polyschemate Obelisci Pamphilii, quod fit ex 1. *Sceptro oculato*, 2. *Hydroschemate*, 3. *et Ceraste.*

Nam *Sceptrum* additum notis et solitis Symbolis non modo non immutat significationem et potestatem, sed firmat et auget. Est enim *Sceptrum* et *Virga* Symbolum receptissimum potestatis et Imperii, et ipsum Osiridem significatum *Oculo* et *Sceptro* tradiderunt Plutarchus *de Isid. pag.* 371. Cyrillus Alexandrinus *in Iulian. Libr.* IX. pag. 300., et Macrobius *Saturn. Libr.* I.

Cap.21. pag.256. in eo omnes etiam consentientes, quod his Symbolis *Regia* vigilantia, potestas, imperium significetur. Et profecto שרבית SCRBITH est *Sceptrum*, et שר SCR, בית BIT est dominus *Rex* Domus habitaculi: *Sceptrum* Baculus est מקל MQL, et temura homiophona מלך MLK est *Rex*.

A R T. VII.

In Polyschemate Obelisci Augustei Campensis, quod fit ex 1. Hydroschemate. 2. Speculo. 3. Semicirculo. 4. et Ceraste idem Pharao Ramesses potest inveniri.

Nam *Hydroschema*, et *Cerastes* sunt eadem, ac in praecedenti *Stemmate*: *Speculum* ראי RAI, מ-ראה M-RAE est plane homiodynamicum *Oculo*: *Semicirculus* sive מצע MTZO *divisus*, זר ZR *Circulus* est adiectus, ut manifestius haberetur מצר MTZR Aegyptus, homiophonon מצע-זר MTZO-ZR. Tum ex מצע MTZO *medio*, et ראי RAI *Speculo*, et רוה RVE *Hydroschemate*, et ex זר ZR *Circulo*, et מא MA *Hydroschemate* habentur alia homiophona מצר MTZR Aegypti. Tum *Semicirculus* est שהר-מצע SCHR-MTZO, adde רוה RVE *Hydroschema*, vel ראי RAI *Speculum* habebis homiophona שר SCR *Regi*, מצר MTZR, *Aegypti*.

Art. VIII.

Omnes indicatos Obeliscos, et reliquos etiam fere omnes fuisse revera conditos et erectos a veteribus Pharaonibus, qui in Aegypto ante Ptolemaeos regnarunt, et minime ab ipsis Ptolemaeis, vel Caesaribus Romanorum certo tenendum est.

1. Primo, quia in Regiminibus Casticis perfectis, ut fuit vetus Aegyptium ante Cambysem, quo Sacerdotes sunt plurimi et potentissimi, quo ipsos Reges ut alumnos suos et infantes in omnibus vitae actibus vel privatissimis regunt; qui ipsos reditus et Oeconomiam Regni administrant, necesse est Monumenta Religiosa fieri plura, numerosa, frequentia, ut augeatur in Populo veneratio Deorum, ut Sacerdotibus sint plura quasi centra Conventuum sacrorum, et occasiones potestatis exercendae: ut Reges fiant honoratiores, ut Plebs, facta ex 200. vel 300. Myriadibus capitum, occupata, laboribus intenta, tranquilla panem suum a Sacerdotibus, et Regibus accipiat. Nam Aegypto in tres partes divisa, quarum una sit Regis, alia Sacerdotum, alia Militum, palam est universam Plebem penitus inopem nisi brachiorum exercitio, et Molium exstructione vitam tolerare non potuisse. Quamobrem si Regimen Casticum tantum per sex saecula ante Cambysem in Aegypto viguisset, et quis posset in ea Regione sexaginta magnos *Obeliscos*, et sexaginta ingentia Templa numerare, esset intrinsece probabile, quod omnes istae Moles per illa sex saecula fuissent positae, et extructae.

2. Secundo, quia ut condantur in Aegypto in-

signia et ingentia Monumenta Hieroglyphica necesse omnino est Castam Sacerdotalem esse liberam, potentem, spectatam, et Reges pacificos, et penitus vel obedientes vel faventes Sacerdotibus.

3. Tertio, quia sub Regibus, vel Praefectis heterodoxis, et heteroglossis, qui vivunt in Civitate heterodoxa et heteroglossa; suntque fere perpetuis et gravibus bellis distenti; Casta Sacerdotali despecta, et neglecta; Casta militari indigena prorsus remota et extincta; Exercitu heterodoxo et heteroglosso plurimo, aspero, insolenti in Regione permanenter et iugiter collocato; Agrorum dominio Plebi utcumque permisso; Vectigalibus ingentibus impositis, et crudeliter exactis, potuit quandoque refici vetus Templum, potuit perfici Drama aliquod Hieroglyphicum imperfectum, potuit addi Propylaeum, potuit insculpi Zodiacus; sed numquam potuerunt excitari novae Moles Hieroglyphicae magnae et insignes.

4. Quarto, quia Reges vel Praefecti heterodoxi et heteroglossi Alexandriae constituti numquam potuerunt sive condere, sive insignem in modum instaurare magna Templa in Thebaide, et adeo *Obeliscos* praestantes adponere: Nam exhausissent Aerarium, auctaque Religione indigena, et potestate Sacerdotali, et multiplicatis occasionibus Conventuum sacrorum, et festorum, et popularium catervarum aluissent rebelliones certas, et suum proprium exitium parassent; Populo Aegyptio querulo, pendulo, mobili, inquieto, ad furiosos tumultus incredibili modo proclivi, Sacerdotibus superbissimis et intractabilibus. Atqui, ut aequum erat, penitus ex Historia constat Testibus Diodoro, Strabone, Plinio, Iuvenali, etc. Thebas magnas, et ipsam Heliopolim sedes Obeliscorum praestantis-

simas sub omnibus Caesaribus Romanis fuisse fere per omnia dirutas, prostratas, exhaustas, desertas, et *Obeliscos* plures in eis fuisse non exstructos, et erectos a Romanis, vel Ptolemaeis, sed fuisse eversos, stratos, et pessumdatos sive a Cambyse, sive ab aliis.

5. Quinto, quia Reges, vel Praefecti externi Aegyptias superstitiones, et Sacerdotum indigenarum potentiam si minus extirpare et auferre, augere et dilatare novis operibus numquam potuerunt. Sed potius *Syncretismum* quemdam Religiosum invehere, quo Deos Patrios suos Apollinem, Aphroditen, Plutonem cum Diis Aegyptiis conferrent, et eosdem esse declararent, ut ipsi viderentur Populo haud penitus heterodoxo imperare, et Aegyptii aequius et moderatius ferrent iugum Regum haud prorsus heterodoxorum. Hinc illae Inscriptiones Graecae Templis Aegyptiis insculptae, de quibus doctissime egit Letronnius *in Recherch. pour servir a l'histoire de l'Egypte*: quibus Inscriptionibus non novorum Templorum constructiones, sed levium partium quarumdam additiones, et is potissimum plerumque *Syncretismus* Religiosus constituitur, manifestatur, et quasi solemniter consecratur.

6. Sexto, quia in Parietibus Templorum Alexandriae, Antinoes, Pompeiorum, Romae minime fuerunt umquam expicta vel insculpta methodo Aegyptia vera et genuina *Dramata*, et *Inscriptiones Hieroglyphicae*, in quibus, si quid auctoritatis et gratiae apud Ptolemaeos, et Caesares Hierophantis Aegyptiis extitisset, si quid meriti apud eos habuisset Scriptura vetus Hieroglyphica, necessario et omnino fuissent insculpenda vel expingenda. Quamobrem si Ptolemaei et Caesares num-

quam passi sunt, ut *Dramata* brevia, et longe faciliora sibi a Hierophantis in Templis ponerentur, quis poterit cogitare magnos *Obeliscos* illâ ipsâ Scripturâ, quam repudiabant in Templis, etiam Isiacis, etiam Serapeis, ingenti sumtu, magno labore insculpere et ponere eos voluisse?

7. Septimo, quia *Stemmata* Ptolemaei Epiphanis Eucharisti notissima ex *Tabula Rosettana* in nullo Monumento alio Aegyptio inventa sunt: cuius *Stemmata*, si verum esset, quod in *Obeliscis*, et Parietibus Templorum etiam *Dramata* et Inscriptiones *Ptolemaeorum* et *Caesarum* apponerentur, necessario fuissent invenienda, quia ingentia fuerunt unius huius Regis erga Religionem Aegyptiam merita, et in Graeco Rosettanae Inscriptionis Textu aperte affirmatur aliqua *Templa* utcunque instaurata et perfecta ab eo *Rege* fuisse. Adeo ut, quum nulla Inscriptio Hieroglyphica propria, nullum *Drama* proprium Ptolemaei huius in Monumentis Aegyptiis appareat, certissimo tenendum sit non modo nulli alteri sive *Ptolemaeo*, sive *Caesari* fuisse similia Monumenta posita, sed poni non potuisse.

8. Octavo, quia impossibile est condi et erigi magnum Obeliscum a Rege vel Imperatore Heterodoxo et Heteroglosso; impossibile condi et erigi Sacerdotibus neglectis, spretis, reiectis, invisis; impossibile condi in *Obeliscis* elogia, facta, gesta, impudicitias, nequitias Regis vel Imperatoris Lingua et Scriptura, quam penitus Rex, vel Imperator, penitus Populus, penitus etiam externi et hospites ignorarent, et quam *ignorabilem* doctissimi viri, qui tum florebant publice et solemniter appellarent. Et si Ptolemaei et Caesares aliquot *Obeliscos* Alexandriam et Romam advexerunt, fe-

cerunt ob *Molis* pulcritudinem et maiestatem, ut ornamentum adderent Metropoli suae, ut similes Moles etsi non hieroglyphicas aliae etiam Civitates erexerunt et erigunt: Fecerunt ad reverentiam vetustatis; fecerunt ut ponerent *Soli* Anathema, non ut sibi elogia et laudes in eis Hieroglyphice pararent. Et profecto Ptolemaei et Caesares ita parum curiosi fuerunt Scripturae Hieroglyphicae, ut puros potissimum Obeliscos et literis hieroglyphicis vacuos praeferrent, et seligerent. Adeo ut ex tribus Obeliscis Alexandrinis, quorum meminit Plinius libr. XXXVI. Cap. 9. pag. 482. unus et praestantior fuerit *purus*, et *notis* carens, et ex sex Obeliscis Romanis, qui magni iure dici possunt, tres sunt adhuc *puri*, et longe probabile est *Sallustium* etiam olim fuisse *purum*, et *Notis hieroglyphicis* vacuum.

9. Nono, quia in omnibus *Obeliscis* indicatis unus est stilus fundamentalis, eadem sunt elementa compositionis, idem fere est tenor et repetitio Symbolorum: adeo ut evidenter evincant habuisse Auctores eiusdem civilis et socialis Systematis, et eiusdem prorsus Religionis, et Liturgiae; quae sub Regibus externis, et heterodoxis servari penitus et omnino non potuerunt, ut ex ipsa *Tabula Rosettana* colligi facile potest, qua non pauca vestigia sunt Liturgiae, Regiminis, et Morum externorum.

10. Decimo, quia Scriptores veteres, qui de Obeliscis egerunt, Obeliscos omnes, nullo excepto, veteribus *Pharaonibus*, nullum prorsus sive *Ptolemaeis*, sive *Caesaribus*, sive cuicumque Graeco vel Romano homini tribuerunt. Et si Strabo, Plinius, Ammianus distincte meminerunt Augusti, quod duos Obeliscos ex Heliopoli Ro-

mam duxisset, quod absque Historiae damno praeteriri poterat, numquam prorsus fieri potuit, quin, si alius Caesar *Obeliscum* excidisset, et nomine et gestis, et inscriptionibus suis Hieroglyphicâ Scripturâ expressisset, plures ex Poetis, Oratoribus, Historicis, aliisque Scriptoribus, qui tum florebant, quasi monstrum et prodigium Posterorum Memoriae commendassent.

Quamobrem ex ipsa natura *Obeliscorum* magnorum, ex constitutione Regiminis Aegyptii antiquioris et recentioris, et ex testimonio Veterum omnino exploratum habendum est omnes ferme *Obeliscos* Aegyptios positos fuisse a *Pharaonibus*, qui *Ptolemaeos* praecesserunt.

Et *Pharaones* quidem dixi, qui *Ptolemaeos*, non *Persas* praecesserunt, quia sub *Persarum* Dynastia regnarunt adhuc in Aegypto novem circiter *Pharaones*, et mihi longe probabile videtur *Obeliscum Pamphilium*, de quo peculiari opere egit Kircherus, et plura accurate adnotavit Zoega de Obel. P.74.75.474. esse uni ex his *Pharaonibus*, et probabilius *Nectanebo* tribuendum. Nam stilus est rudis, et indiligenter Schemata sunt excusa, et non pauca sunt a veteri et puro stilo discrepantia, et quae contra aetati illi semibarbarae, et infelici conveniunt. Quum porro hi *Pharaones* essent veteribus, ut dubitari non potest, Homodoxi, et notum sit *Obeliscos Votis* maxime *Regum* deberi: nil facilius fieri potuit, quam *Pharaonem* votum ad *Solem* de victoria in *Persas* vovisse, et quoniam revera Persas saepius vicerunt Aegyptii per hanc aetatem, *Pharao* reus voti potuit *Deo Soli Obeliscum* illum extruere et erigere.

Dixi porro *fere omnes*; quia ex notis *Obeliscis*

insignibus unum arbitror *Barberinum*, de quo ipse Kircherus egit Oedip. Tom. III. Pag. 271. 280. et Zoega de Obel. Pag. 77. 78. et 474. 475. etc. erectum fuisse a Sacerdotibus et *Hierophantis* sub *Ptolemaeis*; Atque his potissimum de caussis.

1. Primo, quia *Persona*, quae adstat Deo *Soli*, vel Deo *Thoth* in summa parte *Obelisci* est *Sacerdos*, non Rex, ut evidenter arguitur a *calantica*, veste, et quod desit *Aspis*.

2. Secundo, quia Stilus Scripturae est plane alius a stilo reliquorum *Obeliscorum* insignium, nullo excepto, alius numerus, alia dispositio Symbolorum.

3. Tertio, quia *Ellipses* illae *Hieroglyphicae*, quibus fundus *Obeliscorum* efficitur, fere omnes desunt, vix paucae cernuntur, et solitis Symbolis adiectivis carentes. Et in earum *Ellipsium* unâ sunt *Secures* illae *Charthumim*, sive Sacerdotum Scribarum, de quibus diximus ad *Tabulam Rosettanam* Linea VI. Pag. 3. VII. pag. 34. VIII. pag. 48. etc.

4. Quarto, quia Stilus *Scripturae Obelisci* est valde similis stilo *Tabulae Rosettanae* Hieroglyphicae, quae posita fuit sub *Ptolemaeo* quinto Epiphane Eucharisto.

5. Quinto, quia cernitur *Polyschema Hieroglyphicum* simile *Emblemati Ptolemaei* Tabulae Rosettanae, et quod ibi explicuimus Lin. VI. Pag. 8. 9.

6. Sexto, quia videtur erectus *Obeliscus* ob definitam et determinatam a Collegiis Sacerdotalibus aliquam *Intercalationem* solemnem, ob quam visum opportunum id ipsum in Mole *Deo Soli* sacra describere; et quoniam carebant Rege suo proprio homodoxo et homoglosso, necesse plane fuit

nomine suo *Deo* suo *Obeliscum* condere et erigere.

7. Septimo, quia *Obeliscus* XLII. tantum palmorum ut testis oculatus Zoega in Kircherum affirmat, de Obelisc. Pag. 77. nec multa arte et elegantia conspicuus, potuit communi impensa erigi sub Ptolemaeis a *Collegiis* Sacerdotalibus Aegyptiorum etiamsi a veteri potentia et reditibus pristinis deiectis. Quum igitur in *Obeliscis* fere omnibus Aegyptiorum possimus *Stemma Pharaonum* agnoscere, et veterem stilum et vetera instituta discernere, iure possumus his veteribus Regibus eos omnes tribuere, et Ptolemaeis et Caesaribus abiudicare, et eo pacto tueri fidem Plinii, quod pollicebamur in *Fund. Hermen.* Libr. II. Sect. III. Pag. 200. 201.

A R T. IX.

Omnia fere nomina Regum Aegyptiorum, quae veteres Scriptores nobis servarunt, possunt facile et clare deduci ex Stemmate Pharaonico iam indicato.

1. Nam *Harmeses*, *Amersis*, *Armais*, *Mares*, *Moeris*, *Mitres*, *Mestires*, *Amyrtaeus*, *Semesertaeus* *Smarres* etc. sunt ipsae Temurae *Ramessis*, vel *Ramestis*, quae nomina in illo *Stemmate* contineri demonstravimus Art. 4. Pag. 155. 156.

2. *Rapses*, *Rapsaces*, *Rephis*, *Remphis* aeque possunt ex illo Stemmate deduci. Nam ראה RAE Oculus, רוה RVE Hydroschema, et שף SCPH Serpens debito modo coniuncta sunt homiophona *Rapse*, vel *Remphi*, inserta labiali blaesorum: Tum רעף ROPH est Hydroschema, שכה SCKE Oculus, Temura homiophona est *Raphaces*.

3. *Misphra* fit a Serpente שרף SCRPH, et Hy-

droschemate ים IM, מא MA: vel ab Hydroschemate מא MA, *Serpente* שף SCPH, Oculo ראה RAE. *Misphes* fit ab Hydroschemate משה MSCE, et Serpente שף SCPH; vel potius *Misphe* fit a מא MA Hydroschemate, et שף SCPH Serpente. *Misaphris*, fit a Serpente שרף SCRPH, et Hydroschemate משה MSCE.

4. *Amenophis* fit a Serpente שף SCPH, Oculo עין OIN, Hydroschemate מא MA, ים IM. *Amenopthis* fit ab Hydroschemate שטף SCTHPH lavare, עין OIN fonte, scaturigine, et מא MA aqua. *Menophres* a Serpente שרף SCRPH, Oculo עין OIN, Hydroschemate מא MA.

5. *Sethon*, corrupte *Sethos*, ab Hydroschemate שתה SCTE, et Oculo עין OIN.

6. *Sochis*, *Sochi* ab Hydroschemate שקה SCQE, Oculo שכה SCKE, Serpente חויש CVSC.

7. *Busiris* ab Oculo בצר BTZR, Hydroschemate צבר TZBR, Serpente שרף SCRPH per Temuras homiophonas: etc. etc.

A r t. X.

Valde probabile est plurima nomina Natalitia et Popularia Regum Aegyptiorum desumta revera fuisse ex Stemmate Pharaonum per Temuras, et Grammatotropos.

1. Primo, quia hoc pacto habentur *Nomina Personalia* in usus domesticos, populares, sociales opportuna et commoda; et si *Lucius*, *Luceius*, *Lucilius*, *Lucianus*, etc. opportuna et commoda fuerunt Latinis, quidni aeque commoda et opportuna erunt etiam Aegyptiis *Ramesses*, *Ramses*, *Harmeses*, *Armais*?

2. Secundo, quia in Regiminibus Casticis omnia

quidem quae Regem maxime spectant radices et fundamentum in Lingua et Scriptura Sacra habere debent, sed si ea pertingunt ad Plebem et Vulgus, si in usus profanos adhibenda sunt, necessario detorquenda sunt et corrumpenda. Atqui idipsum plane praestant Temurae ex ***Pharaonum Stemmate*** Hieroglyphico et Sacro deductae.

3. Tertio, quia in Regiminibus Casticis non exsistunt Civiliter individua, sed Castae, non Personae peculiares, sed Classes Civium. Adeoque nec ipsi Sacerdotes gaudent nomine solenni publico recepto et individuo, sed omnia agunt sub nomine Thoth et Hermetis sui: Adeoque ne ipsis quidem Regibus esse potuit Nomen sociale proprium individuum Personae, sed contenti esse debuerunt nomine Regis Pharaonis, et nominibus natalitiis vagis, incertis, popularibus, communibus.

4. Quarto, quia historice etiam certissimum est plurimos ***Reges*** Aegyptiorum caruisse Nomine certo, recepto, solemni, quo apud externas Gentes appellarentur et discernerentur. Nam Hebraei Aegyptiis proximi, et mutuo commercio semper noti per plusquam XV. saecula Reges Aegypti praeter paucissimos uno tantum ***Pharaonis*** nomine eos constantissime appellarunt: Et quum saepe addidissent vocem מלך MLK Regem, plane indicarunt Nomen פרעה PHROE non esse tantum dignitatis et potestatis, sed etiam Personae, ut Ptolemaei, Caesaris, quemadmodum recte observat Josephus Flavius Antiqu. Libr. VIII. Cap.6. pag. 436. Adeoque dubitari non potest, quin pleraque ex illis Nominibus Regum Aegyptiorum, quae nobis Graeci servarunt, ut demonstratum est Cap. VI. Art. 2. pag. 110. 111. fuerint popularia, natalitia, mutabilia, varia, et quae adeo

potuerunt rectissime ex illis *Temuris*, quas diximus, peti et deduci; et quae adeo Hebraei nec potuerunt nec debuerunt colligere et servare in Libris suis.

5. Quinto, quia ex plusquam ducentis Nominibus *Regum* Aegyptiorum pleraque omnino sunt, quorum Etyma nec per Linguam *Copticam*, ut vidimus in *Fundam. Hermen.* Libr. III. Sect. I. Cap. 4. pag. 298. 299, neque adeo per *Arabicam*, *Syram*, *Abissinicam*, *Hebraeam* clare et perspicue possint obtineri. Atqui si communi et recepta Methodo ceterarum Gentium ea *Nomina* fuissent *Regibus* Aegyptiorum imposita, plane necesse esset *Etyma* per has *Linguas* tentata esse plerumque explorata et certissima, ut clara et explorata sunt Etyma *Nominum Regiorum* ceterarum fere omnium Gentium, et quorumcumque etiam temporum. Atqui si *Nomina* propria peterentur et imponerentur per Temuras et Lexeotropos *Stemmatis* alicuius *Hieroglyphici* revera carerent *Etymis* opportunis, et claris. Ergo *Nomina* Regum Aegyptiorum, quum careant *Etymis* claris perspicuis certis, dicendum omnino est per Methodos Crypticas et Temuricas fuisse facta et formata.

6. Sexto, quia dato tam ingenti numero *Nominum Regiorum*, et datis contra *Regibus* longe paucioribus, ex Lege Casticismi severissima carentibus nominibus solemnibus, publicis, individuis, et uno fere communi nomine scilicet *Pharaonis* appellatis: nulla alia via, nulla alia ratio tantae adversitatis solvendae superest, quam tenere Sacerdotes permisisse, ut plures Temurae *Nominum* ex *Stemmate* petitorum per Vulgus currerent, et ferrentur, quae et ipsi ad lubitum, vel per peculiares aliquas Leges et conventa variarent, mu-

tarent, multiplicarent: et quae adeo varia, diversa, et adversa Graecis et Romanis narrarent, unde Chaos illud effectum est veteris *Historiae* Aegyptiorum, quod *Alphabetophili* methodo sua numquam certe districabunt.

Dixi quidem *plurima* non omnia *Nomina* deducenda esse ex Symbolis *Stemmatis Pharaonici:* Nam non nego et alios fontes esse potuisse, unde illa *Nomina* quandoque peterentur : ut facta aliqua illustria, substructiones insignes, aedificia, victoriae, vel animi, corporisque dotes peculiares: Et propterea ego tenere mallem, non raro Sacerdotes veteres *Reges* suos ex ipsis operibus factis appellasse, quod ex narratione singillatim Diodori colligo; adeo ut non dubitem, quin Sicklerus in suis Tentaminibus saepius veritatem sit adsequutus.

Art. XI.

Haud potest obstare, quin Polyschema Hieroglyphicum factum ex Oculo, Hydroschemate, et Ceraste habeatur ut Stemma Pharaonicum, quia non conspicitur in Colossis Regiis Aegyptiorum, et in Sarcophagis Aegyptiis, quos fuisse Regios valde probabile est.

Nam est plane falsum *Colossos Aegyptios*, quos novimus, esse Simulacra hominum vivorum, esse Icones proprias huius vel illius Regis, esse imagines veras huius vel illius *Pharaonis* adhuc viventis, vel quasi viventis, et cuius dici possit illud Virgilii : Aeneid. III. v. 490.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Sed *Colossi* habendi sunt Icones quidem Regum,

sed iam Divorum, iam consecratorum, iam in Sedibus Divinis collocatorum, et qui propterea nec possent nec deberent amplius appellari *Pharaones*, sed unis et puris *Nominibus* divinis essent advocandi *Pharao* semper vivebat, *Pharao* erat semper homo vivus, erat *Rex* vivens Aegypti. *Rex* defunctus esse poterat filius *Solis*, amatus a *Phtha*, quin ipse *Sol*, ipse *Apollo potens*, sed non erat amplius *Pharao*; Et *Pharao* erat tantum vel filius vel successor in Imperio recepta et solemni voce. Et propterea factum, quod in Sarcophagis, qui videantur Regibus posse tribui, in Descr. del Egypt. Antiq. Vol. V. Tab. 22. 23. 24. non appareat illud Syngramma. Etsi sit insuper alia caussa, ex qua illud Syngramma in his Monumentis non conspiciatur, Stilus nempe Scripturae funebris diversus, Compositio funebris peculiaris; ex quo factum est, ut ex omnibus Monumentis funebribus *Ellipses hieroglyphicae* cuiuscumque speciei, quod viderentur propriae Deorum Coelestium et Superorum, fuissent penitus exclusae. Nec dici potest esse incredibile *Colossos* illos positos fuisse absque aliquibus *Nominibus* et praenominibus: Ita quidem. Sed aderant *Nomina* consecrationis, nomina divina solemniter imposita, et alia fortasse, quae Regiam potestatem significarent: ut quum dicitur *Divus Julius, Divus Traianus* intelligitur plane *Imperator*, etsi non exprimatur. Tum si exploratissimum est ex Papyris funebribus Hieroglyphicis esse Stilum funebrem ex parte alium a Stilo viventium, potest iure affirmari Stilum Apotheoseos et Deificationis aliis et diversis propterea Polyschematibus et Symbolis constitisse: et *Pharaonem* Aegypti potuisse exhiberi et significari plurimis aliis Polyschemati-

bus, nemo qui haec studia attigerit, et qui variationes *Stemmatis* a nobis ipsis superius Pag. 156. 157. prolatas expenderit, dubitare poterit.

Quod autem *Colossi* Aegyptii hactenus noti non sint Icones humanae Cyrioschematicae, Simulacra vera huius vel illius hominis, ut iam in *Fund. Hermen.* Lib.I. Sect. I. Pag.6.20.21. indicavimus, haec perspicue evincunt:

1. Primo, quod forma faciei et membrorum sit Idealis, ficta, non *Cyriographica.*

2. Secundo, quod *Colossi* noti omnes sint vel bini, vel quaterni, et brevi intervallo invicem distantes, quod de Simulacris et Iconibus humanis absurdum.

3. Tertio, quod appositi semper fuerint ad Templa et Aedes sacras quasi custodes et ianitores, vel utcumque in usum sacrum et religiosum destinati, quod de humanis Simulacris incongruum.

4. Quarto, quod inscripti sunt Tituli prorsus, divini, et qui unos Deos spectare possunt: In quibus absurdum esset quaerere nasum longiorem, vel frontem angustiorem. Nec dici potest hos ipsos Titulos et nomina in *Obeliscis* legi. Nam *Obelisci* sacri erant primario Diis magnis, et Dii magni erant necessario nominandi et laudandi in *Obeliscis.* Si *Colossi* Aegyptii fuissent Icones purae humanae: Qua cedo absurditate illa Persona diceretur simpliciter Apollo fortis, Sol invictus?

5. Quinto, in Regiminibus Casticis et Sacerdotalibus, in quibus ipsi Sacerdotes potentissimi sunt absque nomine, et absque Icone certa, nisi mavis fuisse Icones certas Sacerdotum illos 345 Colossos, de quibus loquitur bonus Herodotus. Libr.II. cap. 143. pag 144.: et Reges generico tantum et communi nomine distincti, numquam esse po-

tuerunt *Simulacra Regum Cyrioschematica*: Sed tantum Regum bonorum et piorum *Symbola*, quos *Reges* divinitate plena donassent Sacerdotes, et eorum *Colossos* unis divinis nominibus exornatos ad Templa prostare permisissent.

CAPUT X.

Comparantur alia nonnulla Polyschemata Hieroglyphica Obelisci Flaminii cum verbis Textus Hermapionis, ut mutua re'atio clarius etiam et luculentius evincatur.

ART. I.

Βασιλευς ʽΡαμεϛης *Hermapionis respondet Polyschemati Hieroglyphico Obelisci Flaminii, quod fit ex Oculo, Hydroschemate, et Ceraste.*

Id enim probatum dedimus Cap.IX.pag.154.155. Nec obstat quod huiusmodi *Polyschema* bis tantum in uno et eodem latere *Obelisci Flaminii* occurrat: et contra *Ramestis* nomen *quinquies* legatur in Textu Hermapionis lateris eiusdem. Nam Hermapion non vertit tantum Scripturam Hieroglyphicam *Microschematicam Obelisci*, sed etiam *Megaloschematicam*, sive δια των πρωτων ϛοιχειων, sive Dramata anthropomorpha, quae sunt tum in parte summa, tum in infima *Obelisci*. Atqui in singulis lateribus *Obelisci Flaminii ter* omnino *Rex Pharao* conspicitur sive genuflexus, sive sedens coram *Deo* et *Patre Sole*. Ergo si in uno et eodem latere *Obelisci Flaminii bis* Lexeographice, *ter* Ideographice le-

gitur *Rex Ramestes*, nempe *quinquies*, maximus utique consensus, et plena congruentia habetur inter Textum Graecum Hermapionis, et Textum Hieroglyphicum *Obelisci Flaminii.*

A R T. II.

Αιωνοβιος *Hermapionis respondet Polyschematibus Hieroglyphicis Obelisci Flaminii, quorum Primum constat* 1. *Serpente.* 2. *Semicirculo.* 3. *et Norma : Secundum* 1. *Situla radiata.* 2. *Circulo.* 3. *et Quadrangulo : Tertium* 1. *Cruce ansata*, *et* 2. *Pyramide.*

1. Nam *Serpente* recte indicari longaevitatem, aevum, aeternitatem, ex iis quae Philo Biblius ex Sanchuniatone *apud Eusebium in Praep. Evang.* Libro I. Cap 10. p. 41. disserit, et auctoritate Cyrilli Alexandrini in *Julian. Libr.* IX. p. 300. Hori-Apollinis nostri Pag. 1., et aliorum constat. Tum *Cerastes* est חיה CIE, מקרן MQRN. Atqui קרן QRN est etiam saeculum, aevitas, aevum, et חיה CIE est etiam vita, vivens.

2. *Semicirculus* porro est בקע BQO *dimidius*, קב QB *circulus*. Atqui בקא BQA est perpetuus, perennis, immortalis. Tum *dimidius* est חצי CTZI, *Circulus* דור DVR ; Atqui דור DVR, דהר DER est iugis, perennis, perpetuus, et חצי CTZI proprie, vere.

3. *Norma*, *Regula* est תכן TKN, res firma, constans, durabilis, est אמן AMN vera, realis, duratura, perpetua.

1. *Situla* est דלי DLI, symbolum opportunum דלה DLE exhaustionis, evacuationis, ילד ILD generationum, omnium rerum generabilium, quae exhaustio fieri non potest nisi ipso aevo, aevitate ex-

hausta. Tum *Vasculum* est כלי KLI, גלה GLE, adeoque recte indicat כל KL omnes, גלה GLE generationes, omne aevum: כלד KLD est *Scyphus*, Vasculum, et חלד CLD est aevum. aevitas, omne tempus; si *lineolae*, et *dentes* quibus instruitur possunt haberi ut קרן QRN *cornua*, tum habebimus קרן QRN saeculum, aevum.

2. *Circulus* est דור DVR, דור DVR ipsum, vel דהר DER, ut modo diximus, est perpetuus, aeviternus. *Circulus* קב QB, בקא BQA perpetuus, immortalis.

3. *Quadrangulum* est רבע RBO, nempe רב RB magna ingens, רבה RBE multitudo quantitas רבע RBO annorum, qui vere, tempore florido, germinatione רבע RBO numerentur. Tum *Quadrangulum* est עקב OQB, et בקא BQA immortalis, aeviternus.

1. *Cruce ansata* significari vitam futuram, perennem, perpetuam ex ipsis Hierophantis Christiani collegerunt quarto Ecclesiae saeculo, ut ex Rufino, Socrate, Sozomeno constat. Et iure quia Lineae rectae decussatae sunt קו QV, שכל SCKL, et קוה QVE, ת־קוה T-QVE est spes, exspectatio, bonum futurum, adventurum, et שכל SCKL est felix, fortunatus, prosper. Tum *Ansa*, sive *Circulus* est דור DVR, et קב QB, quae, ut modo diximus, aeternitatem, et perpetuitatem significant.

2. *Pyramis* est הרם ERM res antiquissima, vetustissima, quae diutissime aevum fert, est עמד OMD res firma, constans, iugis, quae vox est insuper temura דאים DAIM immortalis, aeternus, perpetuus.

Art. III.

Οικουμενη *Hermapionis respondet in Obelisco Flaminio Syngrammati Hieroglyphico, quod fit ex* 1. *Choreschemate.* 2. *Vasculo.* 3. *Remo, et* 4. *Aratro.*

1. Choreschemate enim profunda ratione indicari Terram ab Hominibus habitatam et excultam ostendimus ad Tabul. Rosett. Lin. VI. pag. 17. 18. 19. et quod verti propterea potest Οικουμενη.

2. *Vasculo* indicari כל KL, גלה GLE omnes generationes hominum, vel perfectas, diximus paulo supra, et *Vasculo* homines et viventes utcumque significari animadvertimus ad *Tabul. Rosettan.* Pag. 8. 9. 23. 24.

3. *Remus* est Symbolum Ideographicum navigationis, sine qua civilitas Generis humani esset vehementer imperfecta, et sine qua Gens Aegyptia esse prorsus non posset. Tum *Remus* est מ-רדה M-RDE, et רדה RDE est agros colere, imperare, imperium exercere, sine quo imperio Gentes humanae, et Οικουμενη non sunt.

4. *Aratrum, Ligo, Sarculum* חרש CRSC, כרב KRB, quia Gentes non fiunt civiles nisi per *Aratrum, ligonem, sarculum*, et Agriculturae exercitia, et curam telluris.

A r t. IV.

Κτισις της Οικουμενης *Hermapionis respondet in Obelisco Flaminio, et aliis etiam Monumentis, Syngrammati Hieroglyphico, quod fit ex* 1. *Semicirculo* 2. *Scala*, *et* 3. *Pelvi hemisphaerica*: *quae praefiguntur Symbolis iam indicatis.*

1. *Semicirculus* enim est חצי ctzi, דור dvr, et חזק czq est muniri, communiri, הדר edr ornare, exornare. Tum דור dvr est habitatio, aedes, domicilium. *Semicirculus* est *Circulus* כור kvr, *divisus* פלח phlc; Atqui פלך phlk est Regio, provincia, et קיר qir paries, murus, Urbs; et כרה kre est excavare, quod in condendis Urbibus necessarium.

2. *Scala* est דרג drg, gradus, viae, itinera דרך drk, גדר gdr moenia, parietes, septa. *Scala* סלם slm, שלם sclm perficere, perfecte parare, absolvere.

3. *Pelvis* est כיר kir, קער qor, rotunda hemisphaerica קארה qare, קיר qir Paries, Urbs. *Pelvis* ספף sphph, סיף siph, יסף isph augere, accrescere, incrementa dare.

A r t. V.

Ηλιουπολις *Hermapionis respondet in Obelisco Flaminio Syngrammati Hieroglyphico*, *quod fit ex Symbolis της* Οικουμενης, *additis tribus Ibidibus.*

1. Nam quemadmodum Οικουμενη non significat necessario totam prorsus Terram habitabilem, omne Genus humanum, sed omnis terra habitabilis,

omnis urbs vi vocis est οικουμενη: Ita etiam illud Syngramma της οικουμενης haud ita necessario universae Terrae attribuitur, ut Provinciae, Nomo, Urbi recte non possit attribui. Certe in *Tabula Rosettana Choreschema* adhibetur modo Lin. VI. Pag. 17. 18. ut tantum Aegyptus indicetur, modo Lin. X. Pag. 79. 80. ut vel superior, vel inferior Aegypti pars eodem Schemate designetur. Ergo nil potest obstare quin 1. *Choreschemate*, 2. *Vasculo*, 3. *Remo*, 4. et *Aratro*, de quibus singulis modo pag. 175. egimus, vel Nomus, vel ipsa Urbs *Heliopolitana* recte significetur.

2. *Heliopolis* porro ut animadvertimus Cap. IV. Pag. 100. fuit omnino Urbs Sacra, Urbs Sacerdotalis, oppidum Hierophantûm, eorum nempe qui, ut Brachmanes *Brahmae*, ita essent veluti proprii filii *Thothi* sive Hermetis. Atqui *Ibis* erat peculiarissimum Symbolum *Thothi*, ut diximus ad *Hieroglyph. Select.* Sect. III. Pag. 59. 60. Ergo dubitari non potest, quin *Ibidis* Symbolum potissimum triplicatum esset Stemma proprium Collegiorum Sacerdotalium, quae essent *Heliopoli*.

3. Et profecto mihi probabile est totum *Ibidis* nomen multa sollertia factum a Collegiis ipsis *Heliopolis* fuisse, ut se ipsos et sedem suam *Heliopolitanam* in eo clare et perspicue expingerent et repraesentarent. Nam ישב ISCB temura IBIS, est sedes habitatio, דבא DBA, temura homiophona IBIDI, est quieta tranquilla, qua morantur נביא NBIA temura homiophona IBIN Prophetae, בן BN, בני BNI filii, סבא SBA vel שבא SCBA, quae temurae IBIS: quasi *Ibis* Heliopolitana nomine suo diceret: *Hic degunt tranquille Prophetae Filii Sabae.* Tandem est animadvertendum similia plane *Stem-*

mata conspici in *Obelisco*, qui adhuc manet erectus *Heliopoli*, et cuius Ectypum videre est apud Kircherum *in Oedip.* III. pag. 333., et in *Descript. de l' Egypt. Antiq.* Vol. V. Tab. 26. in *Obelisco Alexandrino* apud eumdem Kircherum *in Oedip.* Tom. III. pag. 340. 341. et in *Descript. de l' Egypt. Ant. Tom. V. Tab.* 33. in *Obelisco Cairensi Descript. cit.* Tab. 21. In *Obelisco* Augusti *Campensi* apud Bandin. *de Obel. Caesar.* Tab. 1. et 2. ac Zoegam *de Obeliscis.* Tab. 4. Quos omnes *Obeliscos* vel ex historica traditione, vel ex propriis adiunctis fuisse *Heliopolitanos* certum est.

A R T. VI.

Probabile est Heliopolim Hermapionis, quae ter in eodem latere repetitur, respondere etiam Polyschemati Hieroglyphico Obelisci Flaminii, quod fit ex 1. *Capite humano*, 2. *Quadrangulo.* 3. *Falce*, 4. *et Oculo.*

Nam *Capite humano*, *et Quadrangulo* רבע RBO, indicari רב RB, רבה RBE magnam multitudinem Hominum, Civitatem palam est; et qui in Scriptura *Hieroglyphica* aliquantum est versatus statim intelliget haec duo Symbola esse homodynamica *Quadrangulo* et *Vasi aurito*, saepe etiam quasi humanum caput exprimenti, quibus in *Tabul. Rosettana* Pag. 22. 23. 24. 25. 45. 46. etc. indicantur *Homines*, *incolae*, *cives*. Tum *Falx* est חרמש CRMSC, quae solvi potest, ut vox quadrilitera, in חרם CRM addicta, devota, separata, consecrata, חרס CRS *Soli*, quae ipsa est *Heliopolis*. Tandem *Oculus* est עין OIN, et Symbolum *Solis* Ideographicum praestantissimum, quem ve-

teres dicebant παντα εισοραν, et quem dictum a plurimis Gentibus, et singillatim Aegyptiis און AVN AVEN, אן AN ON saepius animadvertimus. Atqui *Heliopolim* ipsam Veteribus dictam און AVN, אן AN, ON est plane notum; Et modo locum Arabes appellant עין *oculum*, vel fontem שמש SCMSC *Solis.*

Art. VII.

Νεως του Φοινιχος Hermapionis nempe Templum Palmae respondere debet in Obelisco Flaminio Syngrammati Hieroglyphico, quod fit ex 1. Baculo Cynocephalo. 2. Siphone, 3. Semicirculo, 4. Tribus Quadrangulis: 5. et Surculo Palmae.

1. *Baculus* enim est שבט SCBTH, est Tribus, Gens, quae ישב sedet manet alicubi, et fortasse ex filiis סבא SBA, et שבא SCBA filiorum Chus, et שבא SCBA filii Joctan Arabum patris. *Canis* dicitur נבחז NBCZ, cui sunt homiophona נביא NBIA *Propheta*, et חזה CZE *Videns*, Prophetia iterum: unde factum, ut *Canis* esset Symbolum Prophetarum, ut animadvertimus ad Hori-Apollinis Hieroglyph. Pag. 21.

2. *Siphon* est שאב SCAB, שבה SCBE sedes mansio, et fortasse filiorum שבא SCBA.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI, דור DVR. Atqui דור DVR est genesis, sedes, habitatio, et חזה CZE Propheta, Videns.

4. *Tria quadrangula* tria רבע RBO quibus ingentem multitudinem Sacerdotum, Hariolorum, Augurum indicari diximus ad *Tab. Rosettanam* Pag. 50. 51. etc.

5. *Ramus Palmae* του Φοινιχος appositus est

Cyrioschematice, quoad vocabulum, et Symbolice quoad sententiam, ut modo dicemus.

A r t. VIII.

Probabile est Νεως του Φοινιχος *Hermapionis, et Syngramma Palmae in Obelisco Flaminio indicare vel ipsas Thebas magnas, vel Templum aliquod insigne et peculiare in ea Urbe positum.*

1. Primo, quia nullus locus, nulla aedes, quam *Thebana* esse potest probabilior, et opportunior sententiae; tum vetustate Urbis, tum claritate, tum origine scientiae Hieroglyphicae spectata, ut adnotavimus Cap. IV. Pag. 100. 101.

2. Secundo, quia *Thebais* Palmis celebris et nobilissima, unde Propertius lib. IV. Eleg. 5. v. 25. canebat:

Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae

Pocula etc. Adeo ut Civitas *Thebarum* potuerit omnino *Palmam* adsumere pro *Stemmate* suo Physiographico, ut Cyrene *Laser*.

3. Tertio, quia *Palmarum* Spathas tum Coptitae, tum Graeci, tum Arabes, ut ex Lexicis notum est, *Bais, Bain*, et etiam *Bait* appellarunt et appellant, satisque vetusta esse nomina Porphyrius *de Abstin. lib.* IV. P. 368. et D. Hieronymus in *Iovinian.* lib. *II.* pag. *169.* ostendunt. Adeoque si νεως verti potest utcumque חא ΤΑ sedes, thalamus, domicilium, quod notant *Baculus Cynocephalus*, et *Siphon*; si *Surculus Palmae* est Bais, utique ΤΑ-ΒΑΙΣ respondet tum verbis Hermapionis, tum *Syngrammati Hieroglyphico*, et propterea tenere iure possumus his Symbolis *Thebas* ipsas indicari.

4. Quarto, quia in *Obelisco Luqsoris* in ipsis nempe *Thebis* posito, *Stemma* urbis, sive *Thebarum* habendum est Syngramma factum ex 1. *Choreschemate*. 2. *Remo*. 3. *Brachio*. 4. et *surculo Palmae*. Significari enim Urbem, civitatem *Choreschemate* et *Remo* patet, diximusque supra Pag.175.177.*Brachium* est זרע ZRO semen progenies, soboles, vel potestas imperium דרה DRE dominatio: *Brachium*, *Cubitus* est גמד GMD, גמר GMR perfecta, absoluta, docta, erudita. *Surculus Palmae* est Bais חיל CIL, sive שבא SCBA *Saba* חיל CIL fortis: quasi esset scriptum *est Civitas progeniei doctae fortissimi Sabae*. Adeoque videtur filios *Scheba* vel Saba Thebaide iam constitutos adsumsisse pro suo *Stemmate* Ramum Palmae, et ei nomen Patris sui temuricum *Bais* ad aeternam memoriam indidisse.

Hinc aequum est modo colligere, quod polliciti sumus Cap. IV. pag. 95. *Obeliscum Lateranensem* esse *Thebanum* non Heliopolitanum, quia Scilicet Urbis *Stemma* in *Obelisco Lateranensi* fit a 1. *Choreschemate*, 2. *Surculo Palmae*, 3. *Semicirculo*, 4. *Quadrangulo*. 5. et *Gladio*. Quibus omnibus, ut ex dictis superius, et aliis saepe in *Tabula Rosettana* adlatis patet, indicatur sedes, locus, habitatio, eorum qui *Palmae* nomine appellari ament, sive *Te-bani*.

Et propterea tenere iure possumus integrum et incolumem esse adhuc Romae *Obeliscum* Hermapionis; hunc esse ipsum *Flaminium*; ac elementa praecipua *Interpretationis* videri accurata, opportuna, et respondentia *Hieroglyphicis Notis*.

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS

Schematum Hieroglyphicorum, et Symbolorum, quae in his Opusculis explicantur.

CONSPECTUS ARGUMENTORUM,

Quae continentur in Disquisitione de Obelisco Hermapionis.

F I N I S.